FERDINANDI CASSANI VIGIANVLENSIS

Quæstiones Medicæ.

I Quòd tertiana exquisita non sit morbus acutus, contra recentiores scriptores.

II Quòd sanguis, & naturalis pituita in uenis sanorum corporum actu sit; potentia humores alij.

III Quòd sedimentum in sanis, & ægris eiusdem sit speciei.

Quarum prima, nunc primùm in lucem editur: postremę uero biennium ante mendosè impressę, emendatę prodeũt.

Cum breui Apologia.

His Quæstionibus Adolescentes, ad Philosophorum morem disserendi in utranque partem, exerceri possunt.



VENETIIS, Apud Nicolaum Tridentinum. 1564

FERDINANDVS CASSANVS PAVLO MONACHO. Physico, & Medico Clarifs. S. P. D.



AEPE in frequentifsima acade mia tua, Paule eruditifsime, dũ Neapoli commorabar, inter cõ difcipulos, & æquales meos agitata fuit quæftio, an tertiana exquifita morbus effet acutus. Ac nonnulli, cùm recentiorum fcriptorum ratio nes, quibus acutam effe probare uidentur, refellere nefcirent: eam opinionem fequuti, omni conatu & ueriorem, & Galeno confentaneam effe contendebant. Ego uerò contrariam partem defendens, omnes iftorum rationes; te, fi rectè recolis, iudice, funditùs euertebam. Sed, cum eò tandem adducerētur, ut orationem meam nec Ga leni, nec alterius cuiufquam auctoris doctrinam redolere, omni affeueratione affirmare non dubi tauerint: decreui quæftionem hanc fcribere, typographisq; excudendam tradere; ut, quæ tum in difputando à me feftinanter dicta, eorum fenfus prę teruolauerant: nunc in publicum propofita, & in ftudioforum manus facilè peruenirent, & ab illis ipfis, qui contrà fentiunt, diligentius pondcraren tur. Si enim æquo hæc animo legerint; & ueritatis,

tis,quàm contentionis cupidiores fuerint, ſententiam ſine ulla dubitatione mutauerint. Huic acceſſerunt quæſtiones duæ, duobus abhinc annis conſcriptæ,atq; primùm ob impreſſorum incuriā mendosè editæ. quarum poſtremam obtrectatores totam quidem peruertere conati ſunt : ſed maiore ex parte conuitijs, non argumentis, quibus deſtituuntur, ueritatem extorquere ſtuduerunt. Quid autem Philoſopho, aut uiro ſtudijs doctriniſque dedito, excogitari poteſt indignius, quàm à diſceptatione inquirendi ueri cauſa inſtituta, orationem ad alium maledictis uexandum traducere? In Apologia igitur,qua breuiter contraria refuto,non committam,ut de mea uita conuiciatoribus reſpondeam. Nam,cúm integritas atque innocentia, non uerbis, ſed factis præſtanda ſit: ita ſemper uixi, ut meis moribus, eorum refellatur oratio. Has autem lucubrationes tibi dicare uolui, quòd, cùm naturæ atque ingenij donis admirandis excellas, & optimarum artium ſtudijs, atque doctrina animum excultum habeas: tuum profectò nomen efficiet,ut & Ariſtarchi placentur, & calumniatores,quos pro nihilo hactenus duxiſti,omninò contemnantur. Vale. Caſtrouillari.

FERDI-

FERDINANDI CASSANI VIGIANVLENSIS

Quæstio Medica,

Quòd Tertiana exquisita non sit morbus acutus, contra recentiores scriptores.



ALENVM in acutorum morborum definitione tradenda, eorumque natura explicanda, sibi ipsi minimè constare; recentiores quidam apertissimè contenderunt. nonnulla siquidem extant eius loca, quæ ipsum uarium, suique immemorem reddere uidentur; his præsertim, qui uel calumniandi studio, uel negligentia quadam, eius uolumina neque benignè, neque attentè legunt, quod plerisq; errandi ansam dedit. Etenim Galenus acutum morbum quandoque definiuit: qui propria tempora usq; ad finē uelociter pertransit. ut.6.Epid.com.1.test.29. & 2.method.3. nulla facta mentione neque continuæ febris, neque magnitudinis: unde tertianam simplicē & exquisitam, in acutorum morborum numero collocare minimè ueriti sunt. quippe quæ & uelociter moueatur, & quatuordecim dierum spatio terminetur: qui proprius, iuxta Hippocratis decreta, acutorum morborum terminus est. Quandoq; eum esse acutum contendit morbum, ut 3.progno. 10.qui cum febre continua, & quadam magnitudine

affligit. & qui non ita sit, quanquam intra quartumdecimum soluatur diem, aut etiam citius, eiusdem appellationis nunquam esse arbitratur, nulla temporis mentione facta. Quandoque acutos morbos necessariò cum febre continua esse asserit. ut 5. Aphoris. 30. aliisque in locis sexcentis. Quandoque acutos morbos absque febre statuit: ut cùm apoplexiam, morbum comitialem, tetanum inter acutos morbos connumerat. 2. Apho. 19. Quandoque hos ipsos inter diuturnos collocat: ut 6. Aphoris. 47. Ex hac locorum pugnantia, q̃plures in acuti morbi essentia ancipites existũt. proindeque uaria ac diuersa pronuntiant. Decreui igitur, quantum in me erit, quæ pugnantia loca uidentur, conciliare: & horum morborum naturam perspicuè tradere, ut acutos morbos, & tardos unusquisque æquè ac breues, & longos, paruo faciliq́ue negotio percipiat. quod eò lubentius efficiam; quò neminem hucusque uiderim, qui in hoc abstrusam Galeni mẽtẽ olfecerit. Ad hæc ponderabimus rationes contendentium, tertianam exquisitam morbum esse acutum. quæ noua est opinio, nostrisq́ue temporibus in scholis agitata. Proderit autem tractatio hæc uniuersæ ferè arti quàm maximè: tum quia utilissimum est philosophari, cùm mentem acuat ad ueritatem facilius dignoscendam, & intelligentiam excitet in rebus obscurissimis, iuxta Aristotelis uerba. 3. de Anima: tum etiam quia Galenus à fucata & indignè iniusta repugnantia uindicabitur: & in re difficili, ac multum & sæpe quæsita, studiosis de acutis morbis omnis dubitatio tolletur. Hoc præterea plurimum

rimum conducet ad morborum curationem, & ad finem Medici consequendum. quandoquidem alia acutis morbis, alia tardis & diuturnis, remedia adhibenda sunt. quibus ignotis, aut non bene perceptis, quomodo rectè curari poterunt? Delebitur denique falsa & in scholis peruagata opinio, quæ studiosorum animos adeò inquinauit, itaque fixis radicibus eorum mẽtibus hæsit: ut nullus hactenus ex illorum animis eam euellere potuerit. Quod ut facilius assequar, primò quid acutum, quid breue, quid longum, & tardum, præseferant, declarabimus: deinde quæstionem institutam prosequemur. proponenda enim est in cuiusque rei perfecta notione, exacta cognitio terminorum, ut Aristoteles & Galenus uarijs in locis præceperunt. Acutum igitur illud est, quod uelocissimo motu, ac uelut impetu quodam opus suum perficit. hanc ob rem dicitur ab Aristotele 5. de generatione animalium cap. 7. Grauitas in tarditate motus consistit: sicut acuties in uelocitate motus. Ex quo acutum telum, acutumque mucronem dicimus, qui se impetu, & uiolentia quadam in profundum citissimè transmittit: sicut retusum qui tardissimè, atque ægrè, & difficulter intrò se traducit. sic acutum ingenium, quod citissimè ac confertim abstrusissima, atque intellectu difficillima, intelligit. & acutum iudicium, cùm quis cita mentis agitatione, censuram de re quapiam grauem, & excussam ferre potest. Tardum uerò dicimus, quod in tarditate motus consistit, citraque uiolentiam & impetum opus suum peragit, & operatur. ex quo uirum nuncu-

pamus tardo ingenio, qui uix summa cum difficultate aliquid perdiscit. opponitur etenim acutum tardo, (parum enim differt, siue graue, siue tardum dicas; ueluti acutum & uelox: cùm utraque hæc in uelocitate motus; illa in eius tarditate consistant) ut breue longo, quandoquidem stat breuitas in temporis breuitate: sicut longitudo in eius diuturnitate. Ex quo breuis est, qui breui tempore opus suum peragit: & longus, qui non nisi longo tempore finem assequitur. quàm ob rem motus dicitur breuis, cùm quis breui tempore mouetur: sicut longus, cùm quis longo tempore. & celer motus, cùm quis impetu quodam fertur: ueluti tardus cùm lento tardoque gradu incedit. Dicitur etenim breuitas & longitudo primò et per se respectu temporis: sicut celeritas & tarditas respectu motus. dico primò & per se, cùm ad celeritatem motus necessariò succedat breuitas temporis. est enim tempus mensura motus: ut Aristoteles 6. Physicorum: & nemo potest celeri motu moueri, quin finem breui tempore consequatur. accedit, quòd celeritas est cum uiolentia & impetu quodam. hanc ob causam definiebatur ab Aristotele uelox motus, qui tempore æquali maius spatium pertransit; uel in minori æquale, uel maius. primò tamen & per se celeritas & tarditas motum respiciunt: & breuitas & longitudo, tempus. Hi motus possunt separatim considerari, & coniunctim. Separatim, si longitudinem & breuitatem absq; aliqua motus specie percipiemus. & dicetur motus breuis, ut dixi, cùm breui tempore quis mouebitur: sicut longus, cùm longo tempore;

pore; & celeritate & tarditate à tempore seiuncta. diceturque motus celer, cùm quis celeri passu ambulauerit: & tardus, cùm lento tardoque gradu. Coniunctim uerò possumus inuicem & mutuò complecti: breuitatem cum uelocitate, & breuitatem cum tarditate. quamobrem dicetur motus breuis, & uelox; cùm quis breui tempore, & uelociter mouebitur. & motus breuis, & tardus; cùm breui tempore, & tardo motu, ambulauerit. Et longitudinem cum tarditate: diceturque motus longus, & tardus, cùm quis diu, & tardo gradu mouebitur. At longitudo cum uelocitate in rebus, quæ laborem patiuntur, minimè connecti poterit: siquidem nemo potest celeriter moueri, quin, ut dixi, breui tempore finem attingat, uel prius deficiat, & hebescat. Hos profectò motus cùm Medici cognitos haberent, atque deprehenderent nonnullos morbos celerrimè, ac impetu quodam peruenire ad summum uigorem, ac proinde breui tempore iudicari, siue ad bonum siue ad malum, uincente uel natura, uel morbo: nonnullos uerò tardo motu, citraque uiolentiam, & impetum: hos tardos morbos, illos uerò acutos nominarunt. stat enim, ut supra diximus, acuties in uelocitate motus, sicut tarditas in eius lentitia. Alios breues appellarunt, qui breui tempore iudicantur, sed citra uiolentiam & impetum: alios longos, qui non nisi longo temporis spatio desinunt, diuque ægrum molestant. potest quidem morbus breui tempore citoque terminari, non tamen celeriter moueri, & cum impetu ad iudicium & uigorem in statu enim, qui summus uigor est, fit crisis 2. de crisibus.

trisibus: sed tardè, ut diaria: quæ, quia non uelociter & cum periculo mouetur, sed tardè: licet breui tempore & citò terminetur, non erit acutus morbus: sed breuis. ut non omnis breuis sit acutus: at omnis acutus, cum celerrimè moueatur, sit breuis. Nam propter celerem motum finem breui tempore assequitur. ut 3. de diebus decreto. ult. & 2. cap. 12. quo in loco uidetur Galenus contra ueteres scriptores (qui uarij circa acuti morbi cognitionem fuere, ut 3. progno. 10.) hanc morborum diuisionem tradidisse. Morborum quidam breues, qui breui tempore finiunt, et brachichonij græcè appellantur: quidam longi, quia longo durant tempore: polychronij dicuntur. Morbi uerò breues quidam citò terminantur: quidam tardè, qui tardi quidē dicuntur, quòd tardo motu progrediūtur: quia tamen intra quadraginta dies desinunt, breues propterea dicuntur. ut 2. de diebus decret. Qui uerò citò ad finem perueniunt: quidam cum uiolentia, & impetu finem attingunt, & summum uigorem: isti acuti dicuntur, & sunt, ut febris ardens, angina, pleuritis, peripneumonia & reliqui: quidam uerò citra uiolentiam & periculum citò desinunt, & isti breues dicuntur, ut diaria, aliјque parui morbi, qui & tardi dici possunt, cùm citra uiolentiam & impetum moueantur, sed tardo motu breui desinunt. Itaque acutus morbus citò terminatur: sed cum uiolentia, qua differt à tardo morbo, qui citra uiolentiam: ambo tamen sub breui contineri possunt. Opponuntur autē inuicē tardus & acutus, sicut breuis & longus. omnis

quidem

quidem acutus necessariò breuis, ut dixi: non tamen omnis breuis, acutus. quia morbus potest breui tempore ægrum affligere, sed tardo & non ucloci motu moueri. & omnis longus necessariò tardus: nō tamen contra & uicissim, omnis tardus, longus; cùm possit morbus breui durare tempore, citoque terminari, tardo tamen motu moueri. & acuties stat in uelocitate motus: tarditas in eius grauitate. His ergo propositis ad faciliorem cognitionem, acutus morbus est, qui breui tempore iuxta Galeni doctrinam durat: sed cum uiolentia mouetur, ut ex hac impetuosa, uiolentaque motione citissimè uigorem & finem nanciscatur. Tardus morbus dicitur, qui, etsi breui tempore ægrum affligit & molestat: tamen citra magnitudinem & uiolentiam, tardoque motu mouetur, ut febris diaria: quæ, & si breui tempore citoque terminetur; tamen, quia citra magnitudinem & uiolentiam, tardus morbus dicitur, & breuis. Liquet igitur ex his, acuti morbi essentiam non in eo, quòd citò terminetur (hoc enim acutis omnibus, & tardis aliquibus attribuitur, qui ambo sub breui contineri possunt, ut bene 3. de diebus decreto. Galenus, & 2. apho. 19.) sed in uelocitate motus consistere, cum qua alia natura coniuncta est, ut esse cum periculo. siquidem acuti morbi, propter motus uelocitatem, periculosi sunt, ut Archigenes sentiebat 3. de diebus decret. & . 2. eiusdem, & nos infrà declarabimus. Sic contrà, perspicuum est, tardi morbi essentiam in motus tarditate consistere. ex diametro etenim opponuntur, ut suprà de mente Galeni positum est. Ex quo clarè pa-

tet

tet toto errasse cælo asserentes, acutiem in uelocitate motus tantùm persistere. putant enim uelocitatem citra periculum esse, uelocis morborum motus causas minimè perpendentes, quas si cogitassent, ad hoc inconueniens & absurdum minimè deuenissent. Ac primum auctoritatibus certare licet. Declarat hoc Galenus 2. de diebus decret. & 3. eiusdem. qui discrimen referens inter breuem morbum, qui brachichonius dicitur, & acutum, inquit: Erit iam omnino brachichonius, quasi exigui temporis dicas, aliter atque aliter acutus, & exigui temporis. nam propter motus celeritatem acutus dicitur: quòd uerò diu morari cum eo, qui celeriter mouetur, non potest, brachichonius appellatur. at natura alia morbi ei coniuncta est, siquidem febres diariæ ex frigore quodam, uel adustione partium exteriorum, uel labore breui, uel uigilia, uel tristitia, uel ebrietate, uel ira, uel id genus similibus proueueniunt, paruæ simul & breues & periculis prorsus uacuæ. ideò nemo has uel idiota uel medicus acutum morbum uocare consueuit. Ex quibus Galeni uerbis patet omnibus, non in celeritate, quam ipsi existimant posse existere citra periculum, acutiem consistere; sed in uelocitate, quam perpetuò periculum consequitur: cùm dicat, alia natura coniuncta est, ut esse cum periculo, quia febres diariæ, quæ citra periculum sunt, minimè acutę, sed breues dicuntur. Pręterea 2. Apho. 23. exponens acuti morbi essentiam inquit: Acuti morbi magni sunt, & ad suum uigorem celerrimè properant. non absque igitur ratione in pauco tempore magnas

faciunt

faciunt permutationes, quas Hippocrates Crises idest Iudicationes uocat. nam propter motus celeritatem citò iudicantur. ut accidens sit necessarium (dicebat Gale. 3. de diebus decret. ult.) celerrimè ad iudicium peruenire. quod quatuor modis fit. aut enim subitò integra sanitas restituitur: aut statim moritur ęger: aut magna fit, uel ad salutem, uel ad mortem permutatio: ut non subitò sanetur, nec moriatur ęger. ut bene 2. Aphor. 23. & 3. de Crisibus 1. & 3. Prognost. 1. illud ipsum confirmat 3. de diebus decret. ult. contra antiquos medicos. Putant enim (inquit) acutum uocari morbum, de quo celeriter iudicium fit, contrarium huius, diuturnum. at ueritas non ita habet. nam acuti morbi propter uelocitatem periculosi, ut Archigenes describebat: ut autem Hippocrates cum febre continua euenientes. accidens necessariò erit: ut celeriter ad crisim perueniat. Et 2. Aphor. 19. Acuti morbi pręter id, quòd celerrimè iudicantur, statim etiam magnitudinem habent. nam febres diarię, quas Graeci ęphemeras uocant, licet citò finiantur, non tamen acuti morbi nominantur. ut acuties non tantùm in breui tempore iudicetur; sed oporteat periculum habere, & magnitudinem: quod est uelociter terminari. Hoc idem asseruit clarioribus uerbis 30. Prognost. 10. his uerbis: Etenim morbus acutus cum magnitudine quadam ac febre continua intelligitur. si enim non ita sit, quanquam intra quartumdecimum soluatur diem, aut etiam citius, eiusdem appellationis nunquàm censebimus. ergo uelocitas motus, quę acutum morbum facit

cit, ſemper eſt cum periculo. ſiquidem magnitudo morbi & febris continua ſalutem incertam & periculoſam faciunt. Hoc idem innuere uidetur motus localis. nam ſiquis uelociſsimo motu ambulauerit, ſemper cum periculo erit motus: ſicut contrà, qui tardè ambulat, tutò mouetur: de quo extat patrio ſermone adagium. Ergo uelocitas motus ratione ſua etiam eſt periculoſa at, cùm acutus morbus uelociter moueatur, ſemper cum periculo erit motus. & qui citra hoc morbi erunt, minimè acuti dicentur: ſed potius breues. Hoc manifeſtius apparebit omnibus, ſi cauſã uelocitatis motus & magnitudinis afferemus. Vt igitur eam exponamus, ſciendum eſt, morbum dupliciter dici, & eſſe magnum (ut bene Galenus de totius morbi tẽpor. cap. 5. ſcriptum reliquit) uel quando uires noſtras ſuperat: uel propria ſubſtantia magnus. ut magnus homo dicitur, & magnus equus. Sed quia non deſunt, quorum in contradicendo ſtudium uerſatur: ſtatim inſurgunt & obijciunt, Galenũ non modò nõ cohęrentia inter ſe dixiſſe, ſed maximè diſiuncta atque contraria. Nam 4. Metho. 6. tripliciter dici morbũ magnũ aſſeruit, uel ratione partis, uel ratione ſuę eſſentię, uel quia cachoete. Aut hic (inquiunt) aut ibi, malè dixiſſe uidetur: cùm in eandem ſententiam hæ propoſitiones non concurrant. Verùm, ſiquis rem totam accuratius animo luſtret, Galeniq́ue ſenſa intenta mente contempletur: neque contrarium, neque palinodiam ſibi canere, pro uiribus tuebitur: cùm trimembris illa diuiſio, quam 4. Metho. 6 literis mandauit, ad bimembrem,

quam

quam de totius morbi temporibus asseruit, reducatur. Iam uerò, cùm Galenus dixit, morbum esse magnum parte principe affecta: ni eius mens ritè percipiatur, falsa uidebitur enunciatio. Etenim sic omnis febris erit morbus magnus: quia cor inficit. nunquàm enim febris (ut 6. Epid. & 1. de dig. feb. & cap. 4. de rat. cur. per. sang. miss. alijsque in locis sexcentis) nisi cor positum sit in calefacto esse. & hunc ad modum febris diaria erit morbus magnus: quod quàm aberret à ueritate, iudicet quiuis uel mediocriter Medicinæ sacris initiatus. Præterea febris hectica erit morbus magnus, schyrrus in hepate erit morbus magnus, iecoris imbecillitas erit morbus magnus: quod & falsum, & absurdissimum; cùm magni morbi minimè sint. nulla etenim apparent symptomata magna, etsi partem principem lædant. Accedit, quòd angina morbus magnus est & peracutus, sicut peripneumonia, pleuritis: qui, etsi in principe parte non sunt, morbi tamen magni & sunt, & dicuntur. Nec prætendi potuerit ratione suæ essentiæ, quatenus essentia est, magnos fore morbos: quandoquidem consequeretur quālibet leuem inflammationem morbum magnum esse. quò quid absurdius dici, aut existimari potest? Quapropter non simpliciter, sed medullitùs Galeni, sermo perscrutandus erit: & iudicio meo hoc sibi uelle uidetur, cùm ait, affectus dicitur magnus ratione partis principis, idest quando principes uires & actiones lęduntur. sic angina, pleuritis peripneumonia, & reliqui, sic apoplexia, morbus comitialis, tetanus, & cęteri, magni

morbi

morbi appellantur, quia principes uires actionesque, lædunt, & delent: illi uitales actiones, ut caloris innati uentilationem, & refrigerationem, respirationem, qua impedita calor & uires suffocantur & extinguntur: hi uerò animalem. Morbus igitur, cùm principes actiones & uires, uel superat uel lædit, magnus dicitur. Hanc relationem, & collationem Medicus omnino spectare debet, quò perfectum minimeque fallax faciat prognosticum. quamobrem dicebatur ab Hippocrate 1. Prognost. Proinde harum naturas Medicus noscere debet, quantum corporum uiribus sint superiores. Itaque Galenus hūc ad modū, ut ego quidē arbitror, intelligitur, cùm asserit morbū esse magnū ratione partis principis, idest, quando principes uires, & actiones uel lædit, uel delet, uel superat, & ita respectu uirium dicitur magnus. Alio modo dicitur magnus ratione suæ essentiæ siue substantiæ. at hoc erit, quando morbus opus suum perficit. perficit autem, corpus summopere lædens, mirumque in modum affligens, quod proprium morborum est, tuncque magnus erit morbus. Verùm, quoniam substantia de materia & forma dicitur, ut. 2. de Anima Aristo. & Com. morbus quoque magnus, ratione substantiæ idest materiæ & formæ dicetur. sicut enim appellamus hominem magnum uel ratione materiæ, quia magno est corpore in triplici genere magnitudinis, latitudine, longitudine, & profunditate, uel ratione formæ, quia magno animo, magnis uiribus, magno ingenio, etiam si paruo sit corpore, ita de morbis. etenim hi magni dicuntur ratione

ne materiæ, quando humores multi sunt, qui materia sunt (ut sentiunt) morborum: & calor siue cacheithia uel putredo immensa erit, quæ partes sunt forma les ipsorum. constituuntur enim morbi ex materia, ut puta pituitosa, melancholica, & biliosa (quas materias appellant morborum) magis & minus calefacta, siue putrefacta, quæ qualitates sunt & formæ eorum. ma ior enim & minor putredo, sicut & locus, morbum efficiũt pestilentẽ, & minimè pestilentẽ. 1. de diff. feb. 6. Ex quo tertia illa conditio, quam. 4. Metho. scripsit, ad hanc reducitur, scilicet ad substantiam: cùm cacheithia, quæ est forma morbi, ad hanc reducatur. substantia etenim, ut dixi, materiæ & formæ attribuitur. Itaq; rectè dicitur, dupliciter morbum esse magnum: ratione uirium, ut quando principes uires uel lædunt, uel superant: & ratione substantiæ siue essentiæ. 4. uerò Methodi uoluit illud ratione substantiæ, pro clariori intellectione diuidere in materialem partem, & formalem. Redeundo igitur ad propositum, cùm dupliciter dicatur magnus morbus, uel in propria substantia, uel respectu uirium: in propria substantia, quando materia est multa & tenuis, & quando forma, quę est mala qualitas, ut putredo, uel caliditas præter naturã, fuerint in immensum aucta & intensa, hæc duo magnitudinis causę sunt. caliditas quidem præter naturam intensa ualde, multam materiam tenuando, ipsam reddit acriorem, mordaciorem, fluxibiliorem, citoq́ue mobilem. quamobrem principes petens partes, principes uires lædit. quæ, si fuerint fortes, resistent: atque

in pugna uel superabunt morbum, uel erunt superatæ. atque ex hoc in morbis acutis periculum impendet. etenim propter uelocitatem motus, materiæque uitiositatem & multitudinem, uires principes lædere potest. Dicebat enim Galenus super Aphor. Acutorum morborum non omnino sunt certæ pronuntiationes salutis, uel mortis. hoc fit propter subitam mutationem in iudicando, quæ naturam humorum sequitur morbificorum: & quia natura nonnunquam humor noxius ex uno loco transfertur ad alium. si uerò imbecilles uires sunt, statim superantur, & repentinam faciunt mutationem: ægrique pereunt. repentinæ etenim mutationes acutorum morborum sunt. 3 de crisibus 3. Ex quo multitudo materiæ et eius tenuitas, cũ caliditate ĩmensa(quæ magnum reddunt morbum) causæ sunt uelocis motus morborum, & acutiei ut. 3. de crisibus 4. circa medium. nisi enim materia fuerit tenuis cum caliditate intensa ualde, nunquam morbus uelociter mouebitur. quæ materiæ multitudo, cum eius tenuitate, acrimonia, & mordacitate, intra maxima uasa contenta, membra ueluti exurens, ab unoquoque expellitur: & motus causatur uelocissimus, atque adeò, ut dixi, periculosus, ut principes uires destruere possit. Hæc materia turgentiam in morbis creat: sicut 8. per loca Galenus manifestat sermone isto: Turgere est uelociter ad excretionem moueri humores, firmam ac stabilem sedem non habentes. at hoc propter quid, nisi ob materiæ tenuitatem, & mordacitatem. sicut 1. Aph. 22. bis uerbis: Verbum autem turgere translatum est

ab

ab animalibus ad humores. nam sicuti illa stare loco non possunt, quodammodo titillantia, atque impulsa, concitataque, à passione: sic & humores plerunque in motu uehementiori atque fluxu ab una parte ad aliam, in morbi principio hominem infestant, mouentes, fastidientes, titillantes, & quiescere non permittentes, cùm & ipsi pariter moueantur, & fluant, & tanto motu de loco ad locum ægrum molestent. hoc idem 4. Aphor. 1. & quos oportet purgare & quando. Turgentia ergo materiæ in uelocitate humorum motus consistit: qui sedem firmam non habent. hanc ob rem dicit Galenus, 4. apho. 10. Debemus in acutis morbis prima die & in ipsorum principio purgare. & rationem subijcit: nempe, antequã uires debilitentur, & materia propter eius turgentiam, & uelocitatem, aliquod princeps membrum occupet. Ergo uelocitas motus humorum periculum facit. Hinc patet error, iudicio meo maximus, asserentium turgentiam eam ex quantitate materiæ absolutè ortum habere: quod falsum est. Nam Turgere, ut diximus ex. 8. per loca, est uelociter moueri humores ad excretionem, & firmam sedem non habentes. at pauca materia, nedum multa, modò tenuis sit, acris ualde, & furens, proindeque, à membris expulsa, intra tamen uasa contenta; turgentiam facere apta est. ex quo errore in alium peiorem labuntur. quandoquidem materia existente multa, in principio euacuant per medicamentum purgans. freti tantùm Aphor. 29. 2. partic. Inchoantibus morbis &c. quo in loco non de euacuatione per pharmacũ

loquitur Galenus, ut ipsi malè opinantur: sed de euacuatione per sanguinis missionem: ut 2. Metho. 15. leuata siquidem natura alacrius reliqua concoquet. Præterea, cùm in principio semper sint signa cruditatis, semper mala erit talium humorum euacuatio. ut 4. Apho. 22. quo enim tempore à causis morbificis natura grauatur, adest autem cruditas humorum; aliquid bene euacuari est impossibile. siquidem oportet coctionẽ præire, subsequi uerò discretionem, & postea euacuationem, ut bona sit crisis. Et 2. Apho. 9. corpora cùm quis purgare uoluerit, oportet fluida facere. inquit Galenus, ut purgatio rectè succedat, oportet coctionem præire. nam qui istud neglexerint, & uomitus, uel alui subductionẽ procurauerint, his difficiles ueniunt purgationes, non sine torminibus, quadam uertigine, fastidioq́ue multo: & reliqua. Et libello, quos oportet & quãdo, inquit: Inepti sunt ad purgationem, qui cruditatem materiæ habent, & multitudinem. Ex quibus Galeni uerbis clarè patet quòd in materia multa non mordaci atque furenti, iuxta Galeni normam, minimè ante coctionẽ purgandum. caliditas etenim præter naturam intenta ualdè, causa est mordacitatis, & turgentiæ. sed de hoc aliàs longioribus uerbis. Vt igitur ad institutum reuertamur (dicimus exuberantem caliditatem cum tenuitate materiæ motum parere uelocissimum, propter quem acuti morbi dicuntur, & periculosi: sicut magnitudo materiæ, & caliditas immẽsa eius forma, morbum faciunt propria essentia magnum. Et ideo dicebat 7. Aphoris. 32. Galenus, bilis quidem semper acutos

morbos

morbos operatur, tenuis existens, aptaque effrenitari. Verùm per semper, exponit Galenus 6. Apho. 58. maxima ex parte. sicut Hippo. 3. Aphor. etenim non semper bilis acutos morbos facit, ut malè nonnulli arbitrantur, nisi quando acris ualde, & furens: uel, ut summatim dicam, cùm fuerit maximè naturæ molesta, principes uires destruens. sicut neque semper frigiditas & humiditas longos facit morbos, ut ipse 2. Aph. dicebat 39. nam, quando principes uires destruit, acutos morbos creat, ut apoplexiam, tetanum, & reliqua. hanc ob causam scripsit 2. Apho. 19. Duplex autem est acutorum morborum natura, uel enim in humoribus calidis solis, qui nullum obsidere locum, sed æqualiter in omnibus partibus apti sunt ex sua natura generari: uel loco patiente fiunt: ut in morbo laterali, pulmonis inflammatione, angina. Ex quibus Galeni uerbis habemus frigidos humores quandoque acutos morbos facere. nec non habemus morbum dici magnum dupliciter tantùm, ratione suæ essentiæ, & ratione partis. Cæterum caliditas hæc intensa non tantum ex putredine materiæ calidæ, aptæque effrenitari procreatur, motu, uicinitate rei calidæ, corporis constitutione, & alimenti calidi assumptione: uerùm opem ei præstant maximam anni tempora. siquidem æstas calida & sicca acutiores reddit morbos & breues. hanc ob rem dicebat Hippocrates. 3. Aphor. in siccitatibus morbi acuti fiunt, atque exitiales, maxima ex parte. Afferebat rationem Galenus. in Com. his uerbis. Siccitas uerò pauciores quidem humores efficit, sed qualitate bilio-

 siores.

ſiores & hanc ob cauſam febres numero ſunt pauciores his, quæ fiunt in temporibus pluuioſis, ſed acutiores. ſiccitas quidem lima caloris, humores tenuando mobiles reddit. ad quem celerem motum periculum ſuccedit, cùm poſſit membrum princeps petere, principesque uires lędere, et corrūpere, ut ſuprà diximus. Et 2. Aph. 25. Aeſtiuæ quartanæ magna ex parte breues: autumnales uerò longæ, & maximè, quæ hyemem attingunt. Inquit Galenus, non ſolùm quartanæ æſtate fiunt breues, ſed et ægritudines aliæ. propterea quòd humores funduntur inutiles, & per totum corpus feruntur, atque diflantur. in quibus igitur uires ualidæ ſunt, noxijs humoribus euacuatis, morbi ceſſant. in quibus uerò ſunt imbecilles, unà cum ipſis euacuatis, & ipſæ diſſoluuntur. & ſicut ex anni temporibus diximus, ita dicendum ex ægrorum temperaturis, & ætatibus, ſi calidę & ſiccæ fuerint temperaturæ, & in ſuo uigore conſiſtentes. Quamobrem dicebat Hippocrates. 3. Aphor. Iuuenibus febres acutæ fiunt, & ex his dicebat Galenus. in Com. Tertianas maximè, & febres ardentes, quæ præ cæteris ſunt bilioſiſſimæ. & 2. Aphor. ſeniores iuuenibus, ut plurimùm, ægrotant minus: qui uerò morbi ipſis accidunt longiores. Supponebat rationē Galenus, quia omnes morbi longi, frigidi ſunt, unde & magis ſenibus, quam iuuenibus accidunt. omnes ſiquidem ſimilioribus morbis facilius corripiuntur. Idem operantur & regiones, ſi calidæ & ſiccæ, induſtria uitæ: & præſens nos aeris ambientis conſtitutio. quæ omnia, ob earum caliditatem celeritatem

morborum

morborum adiuuant, & acutiem præstant. Mox dubitabit aliquis, dictum esse, putredinem seu calorem. esse formam febris. Nam unius rei unica est forma essentialis siue substantialis: morbus autem una res est, unicam igitur habere, formam necessariò sequitur, siue putredinem, siue calorem. Animaduertendum tamẽ est per formam substantialem, intelligi formam & essentiam, quæ ponit rem in esse. neque miremini, cùm morbus accidens sit, formam dicam habere substantialem, quandoquidem accidentia omnia esse habent distinctũ & separatum ab esse substantię, ut bene Auer. 4. Metha. 2. & ens prima sua diuisione in substantiam separatur, & accidens. ut latius Aristoteles in Metaphy. Nec bene sentiunt, imò ut ego quidem arbitror, contra Aristotelis decretum, asserentes inhærentiam esse formam, & esse accidentium, cùm potiùs proprietas quędam sit eorum. Nam sicut proprium est substantię, non inhærere, ita proprium est accidentium, adhęrere, quoniam ex substautia dependent, ueluti ex materia, cùm actum non habeant existendi, nisi à substantia, tanquam ex materia, in qua fundantur. quapropter nullum ab ipsa potest separari, neque seiũctim inueniri, ut bene Auer. 12. Meth. 3. sed hoc Metaphysicis dimittendum. Febris vna res est, unicam ergo debet habere formam. Pro dilucida responsione inuestiganda est essentia ægritudinis, ad quam perquirendam incipiendum est, ut dicebat Galenus à ratione cõmunissima, & à suo opposito, ut puta à sanitate. Vt ille est sanus, qui probas actiones efficit: sic ægrotat, qui ma-

las actiones operatur. Verùm cùm actiones primò sint à facultate, vt à causa formali, & efficiente; & perficiantur per membra, veluti per instrumenta, cùm actiones sint compositorum: vt. 1. & 2. de anima Aristoteles, & Galenus de natur. facul. quotiescunque instrumentum perfectam facit actionem, sanitatem habere dicitur: sicut uicissim, cùm imperfectam, ægritudinem. Sed instrumentum tunc actionem perfectam reddet, cùm optimè fuerit constitutum, siue dispositum. Parũ enim differt (ut ait Galenus. 1. sanitat. tuendæ cap. 5. & 1. de different. morborum) siue constitutionem, siue dispositionem dicas. Quemadmodum igitur sanitas erit optima corporis dispositio, sic ægritudo mala corporis dispositio. Verùm instrumentum potest lædi, & malè disponi dupliciter, aut ratione materiæ, aut ratione formæ. Ratione materiæ: quando partes materiales, quæ similares dicuntur, fuerint intemperatæ. (requiritur enim ad optimam constitutionem, & optima temperies partium similarium, & optima harum compositio) & hoc in quatuor qualitatibus uel simplicibus, uel compositis, ut caliditate, frigiditate, humiditate, & siccitate, & harum compositione: quando scilicet mediocritatem uel excesserint, uel ab ea defecerint. Ratione formæ afficiuntur, ut ratione compositionis. ut puta, quando debita figura, magnitudo decens, situs, ac partiũ numerus decẽs, aut deest, aut supabundat: uel harum unio uitiatur. propter quas, actiones instrumentariarum partium lęduntur. sequuntur etenim necessariò actiones corporis constitutionem: eam, quę proba

est,

est,inculpatę,probęque,quę contrà est,culpabiles ac uitiosę. id quod Galenus 1. sanitatis tuendę asseruit. Erit ergo ęgritudo mala dispositio corporis,uel in intẽperie partium similarium, uel in compositione instrumentariarum: sicut sanitas bona dispositio in utrisque. multa etenim ad construendum requiruntur; sicut vnum ad destruendum. quę mala dispositio qualitas est in prima specie qualitatis. essentia ergo morbi est mala dispositio in prima specie qualitatis,uel in temperie uel in compositione instrumenti: à quibus immediatè actio procedit. Verùm hęc mala corporis dispositio aut erit ratione materię,idest partium similarium: ut quando propria earum partium temperies erit uitiata. & hoc aut à frigiditate ex rebus frigefacientibus genita, vniuersum corpus afficiente; & vocabitur cachexia, uel nominis defectu,mala dispositio frigida: uel partem, & stupor dicetur, uel paralysis,iuxta maiorem uel minorem lapsum. aut à caliditate & rebus calorem efficientibus exorta, quę si totum corpus occupat, febris appellatur: si partem duntaxat,partium intemperies dicitur. vt febris non sit uerè calor pręter naturam, vt malè nonnulli arbitrantur: sed potiùs,effectus caloris; calor autem causa essentialis seu formalis ipsius: propter quem febris dicitur & est. quandoquidem sequitur ad calorem præter naturam in vniuerso corpore febris ipsa. etenim calor præter naturam,calorem innatum qui est partium temperies, & influẽtem ultra modũ calefaciens,temperiem destruit, febremque gignit. quamobrem dicebat. 1. de diff. feb. Galenus Hippocra

tem

tem tradidisse febrium diuisionem penes causam formalem: ut ex calore, qui causa est substantialis & essentialis febris: ipsum verò penes materialem causam diuisisse. & 6. Epid. Com. 1. Causa autem essentialis febris est, non modò secundum Hippocratem atque prę clarissimos Medicos, sed etiam secundum communem omnium hominum consensum præter naturam caliditas. hoc idē cap. 4. 1. de diff. feb. si quis oculis, minimè conniuentibus Galeni verba perspexerit. Excerptum est hoc totum ex Galeno. 1. de differ. & causis morborum, ut quisque videre poterit. & sicut de actiuis diximus qualitatibus, ita de passiuis differendum. Si verò mala dispositio erit respectu formæ instrumenti, scilicet malæ compositionis: vt si uitiosus erit debitus numerus partium, quòd quis habeat sextum digitum, uel deficiat quintus, propter quem actio uitiabitur, mala dispositio in compositione erit morbus: nō autem sextus digitus, vel quintus deficiens: cùm hi potius causæ morborum sint debitam structuram & compositionē labefactantes, à quibus immediatè actio procedit. ita asserendum de lapide in uessica, carneque adaucta: quia hæc non primò & per se actionem lædunt, sed compositionem perfectam, à qua actio emanat. hinc patet quanto errore ducantur, asserētes lapidem in uessica sextumque digitum verè morbos esse: cùm potius causæ morborum existant. quòd si Galenum apertis oculis perlegissent: ita minimè sentirent. Neque aliqua vos subeat admiratio, si sæpe Galenus dixerit febrem calorem esse pręter naturam, ego uerò effectum

caloris,

caloris,& calorem eius causam. Nam Galenus definiuit ipsam per causam formalem: quæ est causa quòd sit,& cognoscatur vt per calorem, qui est causa essentiæ, & cognitionis, ipsius febris. forma est actus, & nunquam separatur ab eo,cuius est actus,& forma: sed ea posita,ponitur,& perempta,perimitur. sicut rationale est causa essentiæ, & cognitionis hominis, & per rationale definitur: quo posito,ponitur homo,& remoto,remouetur: cùm inuicem conuertantur. ut ait Aristotiles & Auerroes.7.Meth. Non secus de febre, dicendum est. posito.n. calore prętet naturam in vniuerso corpore,ponitur febris: & illo remoto,hęc remouetur: cùm causa sit eius formalis,quam Medici contētiuam appellant: vt perbellè declarat Galenus. 1. de causis pulſ.1.& 6.Epid.Com.3.test.20.Itaq; calor pręter naturam est causa contentiua,siu formalis ipsius febris,& per eam Galenus febrem definiuit. Nec verò pugnabimus, si dixerimus Galenum,sextum digitum & lapidem in uessica, morbos appellasse sub nomine causæ materialis (etenim duo hæc,materia & forma, principia sunt intrinseca cuiusque compositi. Auerroes.1.Phy.1.sicut finis & efficiens extrinseca)qui re vera morbi non sunt: sed morborum causæ: siquidem lapis causa materialis est ipsius morbi.s. malæ dispositionis,qui obstruendo malam dispositionem, & morbū gignit. ut materia.s. lapis,& forma.s. obstructio,causæ sint tertię rei,scilicet malę dispositionis. sicut materia & forma in naturalibus faciunt tertium,idest compositum: vt bene Auerroes.3.de Anima.5.quibus cōpositum

positum

positum nunquam reperitur priuatum. Redeuntes igitur ad dubitationem, dicimus, quòd si febris considera tur, ut febris absolutè; caliditas prçter naturā est causa formalis ipsius: ut suprà diximus. posita enim caliditate præter naturam in vniuerso corpore, statim sequitur febris. sicut, posito rationali, statim sequitur homo: & illo remoto, hic remouetur. si uerò consideratur febris, ut putrida est, sic putredo erit causa formalis illius, & contentiua. quandoquidem, quò febris dicatur putrida, necessariò requiritur putredinem adesse: qua posita, aut remota; ponitur, aut remouetur febris putrida. sicut enim ad essentiam hominis musici necessariò requiritur musica, aliter musicus nunquam appellabitur: ita ad essentiam febris putridę necessariò putredine est opus, alioquin nunquam febris putrida nuncupabitur. ex quo putredo causa est formalis febris putridę, ut putrida est: quę putredo, ecquid est, nisi mala quędam qualitas, quę cacoethia dicitur? non erit igitur absonum, vnius respectu diuersorum, plures esse causas formales. Sed hęc nonnullis videri possint cum Galeno, ueluti ex diametro, pugnare, totamque eius artem funditùs destruere. Etenim Galenus asserit solutionem continui morbum esse in vtrisque, in compositione, scilicet & intemperie, tertiumque morborum genus: nos autem duo tantum morborum genera constituimus, solutionemque continui inter morbos in compositione numerauimus. hanc dubitationem non parum augent, qui Galeni fundamenta non ritè percipiunt. Componitur siquidem instrumentum, vt suprà dixi, ex materiali

parte

parte,ideſt ſimilaribus: & formali,vt figura,ſitu,magnitudine,numero,& vnione partium. quę omnia inſtrumentum componunt,condunt, & perficiunt. ſicut enim domus conſtat ex lapidibus,calce,& cæmento,veluti ex materia: & magnitudine decenti,figura,ſitu, numero,& vnione partium,veluti ex forma. niſi enim partes ſint vnitę,totum quomodo dici poterit? ita inſtrumentum conſtat ex materia & forma: nempe ex partibus ſimilaribus,vt materia: & ex figura & reliquis, vt forma, cùm actionum ſint cauſę. vt.1.ſanit. tuendę.5.in fine. Com.Galenus aſſeruit ſolutionē continui ſiue vnitatis (nullam enim facit differentiam Galenus,ſiue unitatem, ſiue continuitatem dicas, vt de conſt. artis med. 6.) morbum eſſe in vtriſque. materiam conſiderauit & formam inſtrumenti. quia, quatenus ſolutio continui diuidit partes materiales inſtrumenti .ſ. ſimilares à ſeinuicem,competit illis:quatenus verò remouet vnionem, quę eſt forma inſtrumenti, competit partibus iuſtrumentalibus. itaque ſolutio vnitatis verè morbus eſt inſtrumentalium, & minimè ſimilarium,vt ſimilares dicuntur. quandoquidem quò inſtrumentum dicatur,neceſſe eſt partes inſtrumentum componentes fore vnitas: vt vnio propriè ſit forma inſtrumenti, & non ſimilarium. ętenim,ſicut quantitas et numerus ſunt ſimilarium, vt inſtrumentum componunt, vt.2.artis med.3.& 1.ſanit.tuendę.4 in fine. nempe inſtrumentalium ſanitas in figura numero, magnitudine, compoſitione ſimilarium conſiſtit; non tamen faciunt morbum in ſimilaribus: ita & unio primò

mò competit partibus componentibus materialibus, quæ similares sunt, quatenus oportet vnitas esse, quò instrumentum condant. Vt enim domus nunquam domus dici meretur, nisi parietes eius partes unionem habeant, quæ vnio domum constituit: ita instrumentaria pars nunquam ita dicetur, nisi partes ipsam componentes, quæ similares sunt, vnitæ sint. Dixi, quatenus similares dicuntur: quia similaribus, vt similares, morbi tantum intemperie competunt: cùm hæc earum sit forma, vt Galenus. 1. de vsu partium. 9. his verbis: Namq; carni esse carnem, & neruo neruum & aliorũ unicuique, id esse, quod est, ob qualitatum quatuor prædictarum certam quandam temperaturam, mistionẽq; contingit. Ecce tẽperies tantũ est causa, propter quam similares partes similares sint. hæc autem est earum forma, à qua actio procedit. ergo in hac tantùm est morbus. Si quis autem his argumentis fidem adhibere noluerit: sed auctoritatibus tantùm certare: is legat Galenum, 2. per loca cap. 1. vbi scribit morbos in similaribus partibus ex sola intemperie prouenire, & qualitate: eos verò, qui à materia nascuntur, instrumentariarum partium morbos esse, his verbis: Ob multitudinem sanè instrumentariarum partium morbos faciunt, non tamen similarium partium ullum aliquem; in quibus solùm affectiones iuxta intemperiem simplicem fiunt. quid hoc clarius? sic. 3. de locis affectis ca. 7. enarrans Hippocratis verba 6. Epid. ac loquens de humore melancholico: qui, si in corpus repit, æpilepsiam facit. si verò in mentem, melancholiam: inquit, Igitur crassi

humores,

humores, qui in cerebri substantiam abundant: interdum ei, ut instrumentali, interdum vt similari parti nocet. cùm enim meatus obstruuntur, vt instrumentali: cùm verò temperamentum alteratur, vt similari. Hoc est, ac si diceret, materia, vt qualis, in similaribus, vt verò quanta, in instrumentalibus, morbos procreat. falluntur enim, qui nullum faciunt discrimen inter similares, quatenus similares sunt, & quatenus instrumenta componunt. quatenus enim instrumentorum sunt partes, vt materia tantùm considerantur, seclusa earum forma, quæ mistio est & temperatura quatuor qualitatum. instrumenti forma est magnitudo, numerus, situs, figura, & vnio earum, quæ omnia instrumentum componunt, & actionum causæ sunt: at actio peruenit à forma. quatenus verò, vt similares, formam ac temperiem includunt earum formam. Quamobrem solutio continui seu vnitatis propriè morbus est partium instrumentalium, non autem similarium, nisi quatenus partes sunt materiales instrumenti, non ut similares. ac Galenus fortasse morbum appellauerit cō munem quatenus materiam instrumentorum diuidit. Sed, quia longè spatiati sumus, cōcludamus morbos dici acutos ratione uelocis motus, quæ velocitas semper periculum affert, & ad magnitudinem subsequitur. sequitur enim materię tenuitatem furiositatem, mordacitatem, seuitiem, eiusque multitudinem, & propter eius agitationem principes uires lędere potest, vt Galenus de mente Archigenis 2. de diebus decreto. & 3. eiusdem: & nos suprà ex eius mentę declarauimus. Sed

morbus,

morbus, quò uelocius mouetur, eò magis acutie participat: uel quò magis naturæ est infestus. natura uerò impetu quodam mouetur ad eius uictoriam & expulsionem. Nonnulli autem morbi exactè peracuti dicũtur, qui quartum non pertranseunt, sed statim iudicantur, & desinunt; uel ad salutem uel ad mortem. quidam peracuti non exactè, qui ad septimum usque producuntur. Acuti verò exactè, qui ad quartumdecimum porriguntur: non exactè acuti, qui ad vigesimum usque durant. acuti denique ex decidentia nominatur, qui ad quadragesimum producuntur. siquidem imperfectè iudicati intra diem vigesimum, deinde eorum vehementia confracta, reliquum intra quadragesimum diem dissolui consueuit. quorum duplex est natura, vel enim accessionum remissiones in exactam integritatẽ finiunt: vel continua febris semper perdurat. Atque huiusmodi morbi acutorum naturam sapere uidentur: cæteri uerò manifestè sunt diuturni, quia uelociter non mouẽ Horum omnium morborum memoriam nobis reliquit Hippocrates varijs in locis. Peracutorum exactè mentionem fecit. 1. Aph. 6. Extremis, ait, morbis extrema exquisita remedia optima sunt. vbi Galenus in Cõ. inquit. Extremos morbos nominauit Hippocrates summos, vltra quos non alij. at isti exactè peracuti dicuntur. Peracutorum verò non exactè, sermonem habuit eiusdem libri Apho. 7. vbi morbus peracutus est, statim extremos habet labores. quo in loco Galenus per extremos intelligit summos labores. summos autem habet labores circa primos quatuor dies, uel paulò ulterius

rius circa quintum & septimum. Acutorum uerò ex actè, mentionem nobis reliquit. 2. Apho. 23. acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur. Sic acutorum non exactè. 3. Prognost. 40. cùm dixit, Itaque primus impetus hũc ad modum finitur, secundus ad septimum, tertius ad undecimum, quartus ad quartumdecimum, quintus ad septimũdecimum, sextus ad vigesimum. itaque accessiones ipsę ex acutissimis morbis p quatuor, in viginti acutę finiuntur. Acutorum verò ex decidentia memoriam nobis reliquit, ut latè Galenus. 2. de diebus decreto. 12. probat. tum. 1. Prognost. dum inquit facilẽ habere respirationem existimari oportet, perquàm magnam habere uim ad salutem in omni morbo acuto, qui cũ febre infestat, & quatuor dierum spatio terminatur. & 2. Prog. 57. reliquæ autẽ vomicæ magna ex parte rũpuntur: sed aliæ in die uigesimo, aliæ in trigesimo, aliæ quadragesimo, nonnullæ ad sexagesimũ usque perueniũt. sicut passim alibi, ut in Epid. quę loca minime adducenda censeo, cùm latius probatum fuerit à Galeno. 2. de diebus decreto. 12. ex quo non solũ temporibus solis; sed motu & natura magis, acutum, uel peracutũ morbum appellauit. nam, cùm segni lẽtoque motu, cùm interuallis à febre remissis ad quadragesimum usque extenditur, nemo sanæ mentis acutum nominauerit. is n. & si ante quadragesimum cesset, diuturnus est. siqui dẽ acutus morbus est, cui motus uelox, & propter hũc subito pericula adueniunt: reliqui uerò pigri & tardi, etiam si in acutorũ morborum spatio terminẽtur, acuti morbi nullo pacto dicẽdi sunt. loco citato. 3. Pro

gnosti.10.ut febres omnes interpolatæ.ex quibus uerbis tum Galeni de mente Archigenis, tum etiam ex superioribus allatis,perspicuum est eos errasse toto cęlo,qui tertianam simplicem & exquisitam in acutis morbis numerarũt.etenim hæc,licet per spatium.14. dierum finiatur, cùm interpolata febris sit, citraque periculum proprium & essẽtiale acutorum morborum: nullo pacto acutus morbus aut erit,aut dici poterit? Idq; satis hac argumentatione confirmatur: Omnis morbus acutus est cũ periculo. tertiana autem exquisita est periculi expers.ergo tertiana exquisita acutus morbus nõ est. Propositio suprà latè probata fuit rationibus, & Galeni auctoritate.2.&.3.de diebus decret. &.1. de ratione uictus.8.quo ĩ loco Hippocrates,et Galenus inquiũt acutos morbos, ut plurimum,enecare. Assumptionem uerò uarijs ĩ locis Galenus corroborauit,cũ 2.de differẽtijs feb.3.Epid. 1.ad Glauc.8.dixerit eam esse mitissimam & minimè periculosam. &.4. Aph.43.dicente Hippocrate,quocunque autem modo intermiserint, periculum abesse significato . vbi Galenus; solæ enim illę,quæ in quietem febrem vacantem desinunt, periculo carent: etiam si vehementissimam, & satis longam habuerint accessionem. si enim adeò breuis, vt quemadmodum in tertianis legitimis,minori duodenis horis tempore circumscribatur, non modò sine periculo talis est febris,sed etiam citò iudicatur. quomodo ergo acuta erit,si non periculosa,& minimè continua? Conantur isti ad hanc demostrationem distinguendo respondere, atque acutos morbos in duas secant partes. quam distinctio-

distinctionem Galenus tradidit 2. Aphor. 19. his verbis. Duplex autem est acutorum morborum natura, vel enim in humoribus calidis solis, qui nullum obsidere locum; sed æqualiter in omnibus animalis partibus apti sunt ex sua natura generari: uel loco patiente fiunt, seu inflammatione affecto, præsertim si princeps membrum fuerit, & inflammatio magna. hac distinctione posita, inquiunt, periculum esse tantum modo, in morbis acutis, qui aliquo loco patiente fiunt. hi enim peracuti sunt & maximè lethales. 1. de ratione uictus Hippocrates, & Galenus. at acuti morbi, qui ex humoribus calidis solis, qui nullum obsidere locum: minimè cũ periculo sunt. tertianæ febres non aliquo loco patiente fiunt, & inflammato: sed ex humoribus calidis, qui nullum obsidere locum. hanc ob rem mitissima, periculoque immunis existit, non tamen propter hoc ab acutorum numero explodenda. Responsio hæc omnino erronea est: longeque admodum à Galeni mente, & sententia distat. primò, quia de ratione acuti morbi est, esse cum periculo. vt Galenus 2. de diebus decret. & 3. ut diximus. Nam acuties stat in uelocitate motus. at uelocitas semper associat sibi periculum, vt suprà probatum fuit latiùs. Prætereà Hippocrates & Galenus 1. de ratione victus, exemplificat de causonide febri: quàm non modo periculosam: verùm enimuerò mortiferam appellant. at hæc fit ex humoribus calidis & minimè particula aliqua patiente: dicente Galeno. 2. de crisibus. 6. namque in sola flaua bile febris accenditur, sine aliquo visceris affectu: siquidem manente adhuc

intra uasa bile accendatur, exquisita febris ardens nũcupatur. ergo acuti morbi, qui non ex aliqua particula patiente fiunt: adhuc periculo non carent. Adhæc febres synochæ, in quibus nulla est corporis pars, quæ sit præcipuè offensa: sed in humoribus omnibus fiunt, in venis, & arterijs contentis. ut. 2. de diff. feb. ult. quæ que febribus ardentibus sunt acutiores. 2. de crisibus. 6 nõ ne periculosissimæ sunt, ut Galenus. 9. Methodi, propter subitam, quam inducere aptæ sunt, suffocationem? Accedit Hippocrates. 5. Aphor. 30. qui cùm ait, mulierem utero gerentem corripi ab aliquo morbo acuto periculosum & lethale; nonne vniuersaliter loquitur, de omnibus morbis acutis? ut Galenus in Commentario, & rei ueritas est. mulier etenim grauida à quoque morbo afficiatur acuto, facilè consumitur: Celsus lib. 2. cap. 5. ergo non tantum acuti ex aliqua particula periculosi sunt, sed omnes acuti morbi periculum secum afferunt. cùm ergo tertiana periculo careat, minimè acutus erit morbus: ut isti falò cõtendunt. omnes enim acuti morbi periculosi sunt. Sed dicent, hæc cum Galeni dogmatibus pugnare. etenim. 1. de crisibus. 16. & 1. de diebus decretorijs, apertissimis uerbis concedit, dari febres acutas absque signo aliquo periculoso: ergo dantur febres acutæ citra periculum. prætерea Hippocrates & Galenus mentionem fecere tertianæ simplicis: interque acutos morbos numerarunt. 3. Progn. in quibus libris de acutis & eius succedentibus loquitur. Inquit simplicissimæ febres ac mitissimæ, & signis firmatæ securissimis, quarta die, aut citius intereunt,

nec de diarijs intelligit, cùm nullibi diarias uocet acutas. ergo loquitur de simplici tertiana: quam Galenus 1. ad Glauconem, simplicissimam & mitissimam appellat. Sed non animaduertunt, plurimùm inter se distare, febrem non esse periculosam: & non esse cum signo periculoso. fieri enim potest, ut febris periculosa quidem sit; sine signo tamen aliquo periculoso. exempli gratia. laborabit quispiam febri ardenti cum omnibus coctionis signis: quæ iudicij celeritatem, salubritatēque demonstrant. ut. 1. Epid. Com. 2. quis adeò erit insulsus, qui eam periculo carere contendat, quæ tantùm abest, ut tutissima sit, ut omnium sit febrium periculosissima: ac plerunque homines enecet? 1. de ratione uictus: potest enim natura extingui & resolui ex aliquo minimo errore, uel medici, uel ægroti, uel astantis: aut propter morbificorum humorum naturam, ut tenuitatem, furiositatem, & agitationem, subitò permutari ad malum: & ex membro minoris notæ nobilem petere, cordis humores putrefacere, eius uires penitus destruere, citoque ægrum necare: quamuis initio signis esset firmata securissimis. Dātur igitur febres periculum apportantes, absque aliqua periculi significatione. Hanc ob rem dicebatur ab Hippocrate. 2. Apho. acutorum morborum, non omnino fore certas pronuntiationes salutis, uel mortis, propter plurimas, quas Galenus in fine cōmenti affert, causas. Et Celsus: neque tamen (ait) ignorare oportet, in acutis morbis fallaces magis esse notas & salutis, & mortis. lib. 2. Iam planum factum est febres extare periculosas cum signo salutis: sic uicis-

sim dantur febres salutiferæ cum signo periculoso. De quibus notauimus, quod à Galeno. 3. de crisibus. 4. scriptum est his uerbis. Debiles quidem & paruæ febres quandoque ualde malignæ sunt, & aliæ calidæ, atque accendentes; ut aliquando stomacho angustiam & calorem & sitim intolerabilem afferant: nihil tamen habent nonnunquam periculosum. quòd si secus esset, febres tantùm mortiferæ, & lethales essent periculosæ: quodque absurdum sit quisque uel parùm exercitatus, diiudicauerit. Ab his autem, qui contrà sentiunt, libenter quæsiuerim, quid Galenum impulerit, ut 9. Metho. 4. ad liberandum ægrum usque ad animi deliquiū (remedium adeò periculo plenum, ut 9. Methodi probat) sanguinem miserit: nisi ob summum imminensque periculum, ne febris iuuenem suffocaret: cùm tamen absque signo aliquo periculoso infestaret? itaque statuamus minimè consequens esse, ut si febris est citra periculi signum, sit etiam sine periculo: cùm, ut probatum est, possit reperiri febris periculosa citra periculi signum. Nec uerò consonat, Hippocratem loquutum esse de simplici, & exquisita tertiana, ut ipsi imperitè affirmant, tum quia minimè lethalis, quod si esset 4. die interficeret: neque ita salutifera, ut 4. die solueretur; cùm potiùs quinta, & non quarta in sæuissimis accessionibus crisis fiat. 3. de Crisibus, & 4. Aphor. 36. Præterea febris intermittens non numero dierum: sed circuituum numeratur. 3. Prognost. 7. & 4. Apho. 59. Sed tertiana, cùm intermittens sit, non quarta die, sed quarto circuitu, uel septimo, uel citius iudicatur. Hippocrates

pocrates uerò dicit quarta die, aut citius ergo non de simplici tertiana, ut malè opinantur. Cum igitur omnes acuti morbi (ut probauimus) sint cum periculo: & tertiana, Galeno, periculo sit immunis: quomodo acutus morbus esse poterit? Iā ad id confirmandū secundū quoque argumentum afferamus. Morbus acutus, si febrē hēt, ea cōtinua est. at tertiana nō est continua. ergo non est morbus acutus. Maiorem propositionem probatam reliquit. 5. Aph. 30. si enim sit cum febre morbus, necesse est illum febrem habere continuam. talis enim est morbus acutus. hoc idem. 1. de ratione uictus 8. 2. Apho. 1. & . 1. Apho. 7. particulæ, ubi inquiunt. febres ab acutis morbis fore inseperabiles, sicut 2. Aph. 19. imo. 3. Prognost. 10. circa medium ait: Etenim morbus acutus est cum magnitudine quadam, ac febre continua intelligitur. si enim non ita sit, quanquam circa quartumdecimum soluatur diem, aut etiam citius eiusdem appellationis nequaquam censemus. Tertiana autem exquisita non est huiusmodi. non enim febrem habet continuam: imò huius febris accessio duodecim ad summum horarum æquinoctialium spatio finitur, ut sexcentis in locis Galenus, nec probatione indiget. Non igitur tertiana acutus morbus est. Sed uideamus, quàm firma sint, quæ aduersarij, dum huic rationi respondere conantur, in medium afferunt. Ac primum ad auctoritatē Hippocratis. 1. de ratione victus, asserunt Hippocratem eo in loco illorum acutorū morborum meminisse, quos antiqui acutos nuncupabant: atque ad eorum mentem, non ad suam esse loquutum.

quæ noua expositio, ut ego quidem arbitror, & ueritati, & Hippocrati aduersatur. Declarant hoc Hippocratis uerba, quæ antiquorum medicorum reprehensionem subsequuntur. Qui (inquit) non ex morborum essentia, sed iuxta corporum uarietates, quæ multas ob causas permutabantur: de morbis iudicium tradidere. maximè autem laudauero medicum, qui in morbis acutis, quorum ui plurimi hominum enecantur, secus quã cæteri in melius procedat. Ecce, non ex mẽte aliorum loquitur, sed ex propria: dicens, Maximè autem laudauero medicum. ex quibus uerbis habemus morbos acutos esse ex propria mente periculosos uocatos. Postea declarans, qui sint isti morbi acuti, subiungit: Sunt hi igitur acuti morbi, quos prisci nominatim perstrinxere, pleuritis, peripneumonia, phrenitis, lethargus, causus, & quicunque alij hos consequũtur morbi: quorum febres continuæ interficiunt. dictio illa uniuersalis, Quicunque alij hos consequuntur: declarat ex mente propria loquutum fuisse. Secundò respondent ad rationem, exponendo dictionem illam Necesse, pro maiori ex parte: ac si diceret, necesse est febrem habere cõtinuam idest maiori ex parte febrem habere continuã. Quæ expositio, licet quandoque uera sit, cùm ita Galenus. 6. Apho. 58. exponat: hic tamen nequaquàm accipienda: quia dictio Semper, in his morbis perpetuitatem dicit: auctor est Galenus. 30. Prognostic. his uerbis: Etenim morbus acutus cum magnitudine quadam ac febre continua intelligitur: & quæ ita non est, licet circa quartumdecimum diẽ soluatur, aut etiam citius,

eiusdem

eiusdem appellationis minimè censemus: quæ autem melior ac tutior interpretatio, quàm ipsiusmet Galeni? Sed, cùm animaduerterent, q̃ illa sit inanis, aliam quoque tradiderunt, distinguentes acutos morbos, ut acutorum alij sint peracuti, alij acuti. peracutorum quosdam exactè peracutos, quosdam uerò non. priores quarta die terminari, hos ad septimum usque extendi. Acutorum item quosdam exactè acutos, quosdam non exactè acutos. priores quartadecima die finiri: hos ad vigesimum se extendi. alios præterea esse acutos morbos ex decidentia, qui quadragesima die desinunt. Hac posita distinctione, respondent febrem acutam habere necessariò cõtinuam febrem, intelligi de acutis exactè, peracutis, & exactè peracutis, qui quartadecima, & septima, & quarta die finiunt: non autem de acutis non exactè, neque de acutis ex decidentia, qui uigesima & quadragesima terminãtur, cùm isti duo possint citra febrẽ continuã, et magnitudinẽ ęgros afficere. imò concludunt, ubicunq; in Hippo. & Gale. cõmentarijs scriptũ reperitur, acutos morbos esse cũ febre cõtinua: perpetuò de absolutè acutis intelligendum, peracutis, & exactè peracutis: quos Hippo. 1. de morbis uulgaribus acutissimos, maximos, & grauissimos appellauit. & ut Galenus exponit, tum febribus synochis, tum alijs iuxta quæ singulis progrediuntur accessionibus. non tamen ad infebricitationem perueniunt. ut proprium sit morborum acutorum exactè, non autem acutorum non exactè & ex decidentia febrem habere continuam. Quam respõsionem veriorem esse delphico oraculo nullus

lus est, qui dubitet. Sed tātum abest, ut hæc distinctio eorum opinionem tueatur: ut ipsam penitus destruat. concludūt febrem tertianam, cùm febrem non habeat continuam, inter acutos absolutè non numerandam, nec inter peracutos, nec exactè peracutos: cùm hi febrem habeant continuam. ex quo necessum esset eam acutam appellare non exactè, uel acutam ex decidentia. verùm hoc quomodo fieri poterit? nam prior ad vigesimum terminatur, altera ad quadragesimum: ut.2. de diebus decret. at tertiana septenis circuitibus, quod tempus est longissimum, terminatur. 4. apho. 59. quod est spatium quatuordecim dierum. cùm ergo non sit acuta absolutè, neque exactè peracuta, neque peracuta, cùm febrem non habeat continuam; neque acuta non exactè, neque ex decidentia; cùm hæc longius tempus perdurent, illa uerò quatuordecim dierum spatio terminetur, in quo acutorum morborum numero collocabitur? nempe cogentur aliam acutorum morborum differentiam inuestigare, cùm præter has nec Galenus, nec Hippocrates, nec Celsus, aut aliusquisquā grauis auctor recensuerit. Potest etiam & tertia ratione, tertianam acutum morbum non esse firmari. Nā acutorum morborum non omnino sunt certæ pronuntiationes salutis uel mortis, ut ait Hippocrates. 2. Aphoris. at tertianæ exquisitæ, ut exquisita est, certæ sunt salutis pronuntiationes, cùm mitissima & tutissima sit, ut 1. ad Glaucō. 8. & uulgò dici solet, Sēplice terzana mai fà sonar campana. quo nam modo erit acutus morbus, cùm acuti, vt plurimum, enecent, 1. de ratione uictus? Accedat

dat quartum argumentum idem efficiens. Si tertiana esset morbus acutus, extremè tenuis uictus competeret, iubente Hippocrate 1. Aphor. extremis morbis extrema dieta conuenit: & in acutis parum debilitatas uires conseruare debemus, & minime augere. at Galenus. 1. ad Glauconem crasso uictu, qui potiùs uires auget, quàm debilitet, aut conseruet, in eundem tenoris statum hac febre affectos cibat, ut fructibus, pedibus porcorum, piscibus & reliquis crassis cibarijs. nullo igitur pacto acutus morbus erit. Præterea morbus acutus, seu febris acuta, est, quando humores intra uasa maxima continentur: quia tunc ad infebricitationem nõ perueniũt, proprium acutorum morborum, qui febrem habent. tertianæ uerò exquisitæ humor intra uasa non continetur: sed insultus tẽpore transmittitur extra uasa, ut. 2. Apho. & 4. & 2. de Crisibus. qui igitur fieri potest, ut inter acutos numeretur? Iudicent (quæso) studiosi, & quicunque hæc legerint, quàm absurdè acutũ esse dixerint, cùm ab absolutè acutis separauerint, interque alias acutorum differentias iuxta Galeni & Hippocratis doctrinam minimè numerare potuerint: ut non inter acutos ex decidentia, nec inter acutos non exactè; cùm hi ad uigesimum, illi ad quartumdecimũ desinant: tertiana autem decimaquarta die terminetur, ut probauimus, & rei ueritas est. Nunc, quoniam aduersarij multis quoque rationibus contrariam sentẽtiam persuauere student, non erit alienum eas singillatim excutere: quò apertissimis oculis cernant, quàm toto cælo aberrauerint, nedum scopum non attigerint.

Prima

Prima autem illorum ratio hæc eſt. Morbus acutus eſt, qui uelociter propria tempora uſque ad finem pertranſit. febris tertiana eſt huiuſmodi. ergo tertiana morbus eſt acutus. Aſſumptio patet dicente Hippocrate 4. Aphor. 59. Tertiana exquiſita ſeptenis circuitibus, quod eſt tempus longiſſimum, iudicatur: & quandoq; tertio circuitu finẽ aſſequitur, ut. 2. de criſibus. Id quã infirmum ſit, uel ex his, quæ à nobis ſuprà dicta ſunt, perſpicitur. corruit etenim facillimè, cùm malis ſit fundatum principijs. nam, etſi tertiana breui tempore duret: non propterea acuta dicenda erit: quoniam acuties ſtat in uelocitate motus, quæ ſemper ſibi periculum aſſociat, ut ſuprà latius per rationes, & Galeni au ctoritates. 2. de diebus decre. 12. &. 3. cap. ult. ac tertiana eſt tutiſſima, mitiſſimaque; non autem periculoſa: vt primo ad Glauco. 8. Ergo non acuta: ſed breuis potius, cùm breui tempore ægrum affligat. cuius oppoſitum morbus eſt longus, quia longo durat tempore, ut patet per Hippocratis uerba dicentis, quòd eſt tempus longiſſimum. quaſi diceret, tertiana eſt morbus breuis, longus enim breui opponitur: ſicut acutus tardo. ſi acu ta eſſet febris, dixiſſet utique Hippo. quod eſt tempus tardiſſimum. at longiſſimum dixit: cui opponitur breuis morbus. Itaque tertiana, non acutus, ſed breuis morbus erit. Secundò, ex ſufficienti partium enumeratione hoc argumentum ducunt. Si tertiana non erit acutus morbus: in quo morborum genere numerabitur. non inter polichronios, ideſt longos: cũ ipſa exigui temporis ſit. 4. Apho. 59. non inter tardos: nam celeri ter

ter mouetur, illi uerò segni tardoque motu. Neque inter brachichronios, ideſt breues: nam præterquam quod breui tempore ægrum affligit, etiam celeriter mouetur: quòd illis nullo pacto conuenit. quare (concludunt) cùm neque inter longos, neque inter breues, neque inter tardos: meritò inter acutos connumeranda. Nos uerò respondemus, eam inter breues morbos eſſe collocandam. Etenim de ratione breuis morbi eſt, citò terminari, citra tamē periculum, ut. 3. de diebus decreto. ultimo. poteſt etiam propter longas, quas habet quietes, & infebricitationes: inter tardos morbos facilè & iure connumerari: vt ſit breuis morbus & tardus. diuiduntur enim morbi in breues, & longos: ac rurſus in acutos & tardos. hoc nomine Galenus. 1. ad Glauco. 8. ipſam appellauit his uerbis: Igitur neque ſunt quartana & quotidiana longæ, quæ non ſunt exquiſitæ. at quemadmodum tertiana exquiſita breuis temporis eſt: ſic & quotidiana & quartana diuturnæ. Ex quo ſequitur tertianam breuem & dici, & eſſe morbum, & tardum. breuis dicitur, cùm breui tempore, & citò terminetur: tarda verò propter longas intermedias quietes. 2. de Criſibus. 12. Eſt autem ex ipſis tertiana quidem, & quæ per tertium accenditur, breuis temporis: ſicut quartana, & quæ per quartum accenditur, longi. minus uerò longa, quàm hæc, quotidiana, & quæ ſingulis diebus facit acceſſionem. quid clarius, aduerſus hanc eorùm rationem à Galeno pronuntiari potuit? Tertiò ſic arguūt. Hi morbi acuti ſunt, qui celerrimè iudicantur, & magnitudinem habent. tertiana exquiſita eſt huiuſ

modi

modi. ergo est morbus acutus. Quòd sit cum magitudine, hoc pacto probant. morbus magnus est (4. Method. Galenus) tum ratione partis, tum ratione suæ essentię, tum quia cachoete. tertiana non tantùm ratione partis, est magnus (lædit enim cor princeps membrum) sed etiam ratione suæ essentiæ: quia magna & uehemens si ad diarias comparetur, & putridas, ex frigidis succis. Sed hęc ratio adeò uitiosa est, ut nullo negotio labefactetur. Ac missam facio maioris propositionis excussionem, in qua ponunt acutiem nõ tantum in celerrimè iudicando consistere; sed etiam magnitudine opus esse: quod tamen suprà latius negauerant. Assumptio certè falsa est. nam primùm, si ratione partis tertiana est morbus acutus, cùm cor lædat: diaria morbus erit magnus, cor, hepar, cerebrum, & testes lędens, & calefaciens. imò (quod absurdius) diaria erit morbus maior, quàm uulnus in capite: cùm illa omnes quatuor partes principes lędat: hoc verò caput tãtùm. Pręterea, quod est per accidens, & respectiuè tale; non est per se, & absolutè tale. tertiana per eos est per accidens & respectiuè morbus magnus, scilicet diarię, & putridę ex frigidis succis. ergo non erit per se & absolutè acuta. Propositio est Aristotelis. 1. Post. Assumptio ipsorum illorum est. Deinde falsum est rationę suæ essentiæ tertianam morbum esse magnum. nam primo ad Glauconem, mitissimã, breuissimam appellat Galenus. quomodo magna, si mitissima? Nulla enim eius magnitudo nostris se offert sensibus: cũ non adsint periculosa et magna symptomata, ex quibus morbum magnum cognoscimus,

scimus ut.7.Meth. & 2. de crisibus: imo, ut plurimũ, qui hac afficiuntur, minimè cubare solent: sed rigoris & insultus tempore, uel prope ignem manent, uel spatiantur. aduentãte uerò febre passim ambulant. Non autem magna est ratione materiæ. quia, si materia esset multa, uires destrueret, febremq́ue faceret continuam. materia etenim multa, & uirtus imbecillis non potens materiam extra uasa ob corporis densitudinem, uel eius crassitiem adustione acquisitã, expellere, morbum facit continuum, vt. 2. de differ. feb. nec ratione formæ: quoniam, etsi caliditas magna sit; tamen, quia paruo tempore durat, saltem extensiuè non erit magna. Cùm ergo, nec ratione partis, nec ratione suæ essentiæ, magnus morbus sit, neque acutum esse necessariò sequitur: cùm acuties consistat in uelocitate motus, periculo, & magnitudine, vt suprà diximus. multitudo etenim materiæ, cùm eius uelocitate acutum morbum (ut diximus) creat. Quartò argumentantur in hunc modum. Morbus acutus dupliciter fit, uel ratione humoris biliosi, qui nullum obsidet locum, sed æqualiter in omnibus animalis partibus aptus est ex sua natura generari: uel loco aliquo patiente, ut in morbo laterali, pulmonis inflammatione, & angina. 2. Apho. 19. Tertiana autem ex calidis succis biliosis generatur, qui nullum obsidere locum, sed per totum corpus deferuntur, ut. 2. de crisibus & de differentijs feb. Ergo tertiana est morbus acutus. Breuiter dicimus Galeni propositionem non esse conuertendam. non enim, sicut acuti morbi fiunt ex humoribus calidis in uniuerso corpore,

re, ita uicissim hi humores acutos morbos semper generant. Id enim consequēs nō est. alioqui icteritia, quæ ex humoribus calidis fit in uniuerso corpore, esset acutus affectus, & omnis tertiana esset acutus morbus. quòd est falsum. Sed ipsi occurrent, et est sexta ratio in ordine Gal. 7. Aph. 32. bilis semper acutos morbos facit, sicut frigidi humores semper longos. quæ propositio, si simpliciter intelligatur, omnino erit falsa: cùm icteritia (ut dixi) nullo pacto acutus affectus sit, quæ tamen fit ex bili. sic apoplexia, morbus comitialis, spasmus, acuti morbi & sunt, & habentur, qui ex frigidis fiunt humorib. consequitur enim, ut si morbus est acutus, & non ratione partis, sit ex humoribus calidis: et si morbus est longus, sit ex frigidis succis. sed uicissim minimè consequitur, ut si est bilis, & calidi humores: sit acutus affectus. neque si sunt frigidi humores, ut longi sint & diutini morbi. verùm, quoniam Galenus asserere uidetur bilim semper acutos morbos parere: dicimus dictionem illam Semper, perpetuitatem non præseferre: sed significare, vt plurimùm, & maiori ex parte: ac si diceret, bilis maiori ex parte, & ut plurimum, acutos morbos procreat. ita exponit Galenus, ut suprà diximus. 6. Apho. 58. & Hippocrates. 3. Aphor. 7. ex quo inconsequens illud arbitror, quia tertiana est ex bili, ergo est acutus morbus: cùm bilis maiori ex parte (ut dixi) acutos procreet morbos, non autem semper, ut imperitè ipsi arbitrantur, Galeni enuntiationem non intelligentes. Arguunt & quintò ex Galeni uerbis 4. Aphoris. 59. In morbis (inquiunt) continuis acutorum morborum

terminus est quartusdecimus, peracutorum septimus, sicut in intermittentibus longissimi temporis existens tertiana febris terminum habet circuitum septimum. ex quibus uerbis colligunt dari febres intermittentes acutas. declarat hoc dictio illa Continuis. quandoquidem sicut in morbis continuis acutorum terminus & cętera: ita in intermittētibus acutis terminus est quartusdecimus. nam si secus esset, quorsum dictionē illam Continuis apposuisset? satisfuisset Acutis, absque dictione illa continuis. hæc illi. Pro responsione notandum morbos acutos alios esse cum febre, & hos necesse est habere illam continuam. iuxta Galenum. 2. Apho. 19. alios esse citra febrem, ut apoplexia, morbus comitialis, & alij, qui ratione partis, acuti morbi dicuntur. His ita constitutis, dicimus Galenū addidisse dictionem illam Continuis, ut distingueret morbos acutos, qui sunt cum febre, ab his, qui sunt citra febrem: & ab his, qui febrem habent, non tamen continuā. morbi enim acuti absque febre, terminum non habent decimumquartum, sed uel septimum, uel quartum. ut. 6. Apho. 51. Hanc igitur ob causam apposuit illud, Continuis: ac si diceret, In morbis acutis, qui sunt cum febre, eorum terminus est decimus quartus: vt dictio illa posita sit ad differentiam acutorum citra febrē, quorum terminus non est decimusquartus. ita in morbis, qui febrem habent intermittentem, propter quam acuti non sunt, ut tertiana, longissimus terminus est septimus circuitus. Nec minus uana est ratio, quam ex Galeno adducunt. 8. de placitis Hippocratis & Platonis

nis cap.8.quia non de tertiana loquitur exquisita: sed continua: quæ eadem est cum febre ardente: vt.2. de crisibus.6. At concesso,quòd de legitima atque exquisita sermonem habuisset: non tamen consequitur,ut si est ex genere ardentium,& (ipsis)illa est acuta,ita & hęc acuta sit. ego à pari assererem: sicut febris ardens febrem continuam: ita & tertiana exquisita febrem habebit continuam. non enim maior ratio est in una,quā altera; cùm per eos tertiana legitima ex ardentium genere sit,quæ continuò ægrum affligit. Simili ratione posset responderi, cùm aiunt exquisitam tertianam eiusdem esse generis cum exquisita febre ardenti; hanc autem esse acutam, & illam igitur. Nam à pari dicerem: si illa febrem habet intermittentem: & febris ardens febrem habebit intermittentem. cùm sub eodem sint genere. Nec propterea consequens est,ut,quia sunt sub eodem genere, eiusdem quoque sint speciei. Non enim homo & asinus,cùm sub eodem genere contineantur,nempe animali, eiusdem sunt speciei. nec homo rationalis cùm sit: & asinus rationalis erit. Sed, quoniam hæc omnia falsa sunt,falsum & illud est, eam acutam esse. Illud quoque argumentum adducunt sumptum ex uerbis Galeni. 2.Prognost. 4. dicentis acutos morbos interdum cum rigore incipere. at morbi cùm rigore incipientes sunt tertiana exquisita, & quartana: sed quartana, cùm diuturnus morbus sit, inter acutos non cōnumeranda.ergo (inquiūt) de tertiana Galenus verba fecit. Nec animaduertunt, quàm sibi ipsis contradicant.nam concedunt in eodem illo argumēto morbos

los acutos quandoque cum paruo rigore incipere, ut. 1. Epid. Com. 2. test. 25. & 1. ad Glauconem. & per paruum rigorem, Galenus horrorem exposuit. 1. Epid. loco citato: sicut 2. de differ. feb. rigorem maximum horrorem: & uice uersa horrorem paruum rigorem. falsum est ergo febres continuas quandoque cum horrore nõ incipere, quod 1. de diffe. febrium manifestauit. Deinde Galeni uerba rationis falsitatem demonstrant. inquit enim Galenus acutos morbos interdum: at tertiana exquisita continuò, non interdum, cum rigore incipit. ergo per acutos morbos, tertianam exquisitam non intellexit, ut hæc noua illorum expositio accipit. Præterea arguunt, semitertianam esse horrificam, continuã, & acutam, ut 1. Epid. Horrorem suscipere à quotidiana, & tertiana simul iunctis: quoniam horror medius est inter tertianæ rigorem, & frigorem quotidianæ. Continuitatem habere à quotidiana, quia hæc continua est. Acutiem autem non quotidianæ tribuendam, cũ ipsa & tardus morbus sit, & diuturnus: nec utrisque simul iunctis. quandoquidem nemo dat, quod non habet. si autem quotidiana ex sua natura acuta non est: alteri iuncta quomodo acutiem habere poterit? cùm ergo ex quotidiana non sit, acuta consequens esse, ut ex tertiana acutiem habeat. itaque tertianam esse morbum acutum. Nos respondemus, non esse inconueniens, imò uero uerius, acutiem ab utrisque sumi. ratio autem est: quod bilis propter pituitæ mistionem, crassa facta, porosque obstruens, non potest penitus transmitti à uenis: sed portio eius maior, & crassior intra uenas retinetur.

netur.ut.2.de differ.fab.cap. 9. & sicut impeditur rigor, & fit horror, medium quid inter rigorem & frigus: ita transmissio impeditur. pars uerò retenta, membra principalia petens, eorum uires destruens, acutum & periculosum morbum gignit. Nec uerò dissentaneum est, quotidianam suapte natura ab acutie liberā, cū alijs iungitur, talem fieri posse: quando multa sunt, quæ, quod sola nequeunt, associata possunt, sicut cētum homines nequeunt nauim trahere: at centum & viginti possunt. uulnus leue & paruum satis non est ad hominem necandum: at si febris putrida, uel in capitibus aut finibus musculorum erit, simul iuncta possunt uirum etiam robustissimum enecare. ita semitertiana ratione mistionis quotidianæ & tertianæ, ob assignatam causam acuta fit: præterquam quòd quotidiana periculo minimè uacat, ut Galenus apertissimis uerbis innuit. 1. ad Glauconem. 8. circa principia. Vltimò illud contendunt Galeni uerbis probare. 3. Apho. 29. in cuius Aphorismi commentatione tertianam acutam morbum appellat, dicens: Sed acutas tertianas maximè, & febres ardentes: quæ præ cæteris sunt biliosissimæ, & plurimū iuuenibus accidunt: quoniam & flaua bilis hac ipsa superabundat ætate. nec quispiam (inquiunt) dixerit, ibi Galenum de continuis tertianis fore loquutum, cùm nunquam repertus sit locus, in quo per tertianam absolutè prolatam, continuam tertianā intelligat: sed semper cum appositione, continuam. Quòd si Galenum attentiùs perlegissent, hoc minimè proferre auderent. etenim. 2. de differentijs feb. 8. apertissi-

apertissimè asserit, continuam tertianam, quandoque tertianam, absque aliqua dictionis appositione, appellari. Cùm igitur Galenus. 3. Apho. uocat tertianas & febres ardentes acutas: tertianam intellexit, & minimè intermittentem. Nec Auicennas propriè loquutus fuit. prima fen. 4. tract. 2. ca. 4. sed accepit acutiem pro breuitate: ita omnes interpretes exponunt: quod per suum oppositum patet, cùm inquit, Tertiana non pura est longioris spatij: & pura raò pertransit septimã periodum. Ergo accepit acutiem pro breuitate: non pro uero acuto. ac si diceret, & tertiana pura est uelocis terminationis propter materiæ tenuitatem, eiusque paucitatem: sicut non pura (quam Galenus productã appellat) est longioris terminationis. non ergo id præse ferebant uerba Auicennæ quod ipsi animo conceperãt cùm impropriè ob traductorum incuriam loquutus sit. Sed dixerit aliquis, Galenum. 2. de crisibus. 9. omnes febres putridas uocare acutas. ergo tertianam exquisitã, cùm febris sit ex putredine biliosi humoris: acutũ morbum esse. Hic locus negotium nobis facesseret, nisi Galenus loquutus esset, habito respectu ad hecticam, & ephemeram: hectica enim & ephemera magna non habent symptomata, æquè ac putridæ. quippe quæ, etsi febrem non habeant continuam; ratione tamen putredinis, & in humoribus ebullitionis, continuò sęua habent symptomata. at ephemeræ mitissimæ febres sunt, & simplicissimæ, æquè ac hecticę, quę nullo pacto ęgrũ molestant: imò, qui ipsam patiuntur, febrem non sentiunt, nullumque percipiunt dolorem, aut quia ęqualis

intemperies,ut de marasmo Galenus & de differentijs feb.aut quia calor febrilis, cùm in solidis sit partibus nullam in humoribus facit mutationē, uel ebullitionē, ex qua tanti uapores procreentnr, ut partes distenderent,& dolorem inferrent.sed rursus quidam dubitauerit,si materia calida tenuis mordax acutū facit morbū;cur tertiana exquisita morbus acutus nō est,cùm ex materia fiat eiusmodi, ut puta ex bili pura putrescente ,quę eas omnes conditiones habet? At non tantùm tenuitate & reliquis ante dictis opus est, ut febris acuta fiat: sed etiam,quod intra uasa maxima humor putrescat,& contineatur. manentibus enim humoribus intra has uenas,continuę febres fiunt. quamobrem dicebat Hippocrates & Galenus,quod necesse est morbum acutum,si febrem habeat,illam habere continuā. etenim quando intra uasa maxima continentur, principes partes petentes,uires principes destruere possunt. undè periculū procreatur, at in tertiana simplici, licet materia conueniant cum acuta febre: tamen differunt non tantū loco (cum materia in uenis paruis putrescēs non ualeat uires destruere:sed uirtus ipsa fortis,et domina humores transmittat extra uenas, & per sudorem expellat)uerū etiam materia multa,&putredine:quia in acutis summa est putredo,propter quam acrimonia maior: in simplici uerò tertiana & exquisita tanta non est. dantur enim gradus putredinis, ut. 2. Aphor. 12.& 1.de differentijs feb.cùm ergo tertiana hęc omnia non habeat,non erit acuta febris aliquo pacto. requiritur enim ad acutiem,& multitudo materię, & tenuitas,

tenuitas, maxima putredo, & caliditas intẽsa (ad quas acrimonia succedit, & uelocitas motus) nec non, quòd intra uasa maxima humores contineantur: quæ cùm in simplici tertiana non existant: acuta esse non potest. Ex quibus omnibus clarum est, nullo pacto tertianam exquisitam morbum esse acutum uerè, & propriè. id quod nonnulli iuniores, non spernendæ auctoritatis uiri, tradiderunt. nulla.n. (ut iã disseruimus) firma ratio consistit, quæ illud concludat & demonstret. Itaque falsa est omnino istorum opinio, quibus illud tantùm assentiar, impropriè, & respectiuè eam acutam appellari, quatenus hecticæ & ephemerę, ut diximus comparetur: quomodo plures quoque morbi acuti dici potuerint. Hac igitur opinatione relicta, reliquum est, ut ad Galeni contradictiones accedamus pedibus uelu ti expeditissimis, ne sermonum prolixitate, studiosorũ aures in re clarissima offendamus. sermo etenim, quò breuior, eò iucundior. Vt autem primùm proponamus quæ nos magis ad intelligendum præparent, sciendum est, uelocitatem motus, (propter quem acuti morbi dicuntur, ut suprà diximus.) semper periculum afferre, & ad magnitudinem subsequi. causa enim, propter quam morbi uelociter mouentur, eadem est magnitudinis, & periculi. Deinde morbos acutos duplices esse; aut ratione partis, aut ratione suæ essentiæ. Ratione partis, quando principes uires lædit. sic apoplexia, morbus comitialis, angina, pleuritis, peripneumonia, acuti morbi sunt: cùm principes uires, ut animalem & uitalem, maximè lędant. Ratione autem partis adhuc bi

fariam: quædam enim febrem habent continuam, ut angina, morbus lateralis, peripneumonia, cùm inflammationes sint: quædam uerò citra febrem sunt, ut apoplexia, & morbus comitialis. Ratione suæ essentiæ .s. materiæ, & formæ, ut materiæ tenuioris calidęque, quæ est forma eius, propter quam materia fit tenuis, furiosa, acris, mordax, citoque mobilis, nullam partem obsidens: quod proprium est turgentis materiæ. hanc acuti morbi distinctionem scriptam reliquit Galenus. 2. Aphor. 19. his uerbis: Morbus acutus dupliciter fit: uel ratione humoris calidi, qui nullum obsedit locum, sed æqualiter, in omnibus animalis partibus aptus est generari: uel loco aliquo patiēte fit, ut apoplexia, morbus lateralis, & alia. Tertiò sciendum est, multos esse morbos, qui ratione sua diuturni sunt: ratione tamen, qua principes uires lædunt, fore acutos: ut apoplexia, morbus comitialis, omnesque frigidi affectus. Nam ratione suæ essentiæ .s. materiæ & formæ, ex quibus cōponuntur, morbi sunt diuturni, & longi. materia siquidem pituitosa, quæ frigida est, & humida, cuius est forma, semper longos gignit morbos: qui, ut plurimum, senes comitantur ad mortem: vt Hippocrates & Galenus. 2. Aphor. quia propter eius crassitudiuem, frigiditatem, & humiditatem, non nisi longo tempore potest concoqui, & extenuari. ut Galenus. 6. Aphor. 49. & 2. Prognost. 25. Quòd si materia hæc, alioquin pituitosa, principes uires læserit, periculumq; fuerit extinctionis, & mortis: sicut si cerebrum petierit omnimodamque obstructionem fecerit in eius uentriculis: ut omnes

nerui

nerui, tam qui sensum, quàm qui motũ per vniuersum transferunt, obstructi sint: quam ob causam apoplexia fit; cùm periculum sit extinctionis, & suffocationis caloris innati, nec possit uirtus motiua thoracis musculos mouere, ut pulmo præparatum aerem cordi, pro intimi caloris refrigeratione, & uentilatione transmittat: tunc acutos morbos procreat. hoc fortasse Galeni uerba præseferebant. 4. de causis puls. 22. Vbi ait morbi comitialis accessiones acutas esse, eos tamen diuturnos fore morbos. ratione etenim accessionis, quia principes uires destruit, & uitam: quæ citra spirationem, sicut spiratio citra uitam, minime stare possunt. 6. de locis affect. 4. acuti morbi dicuntur, qui tamen ratione causæ & materialis, & formalis, ex quibus constant, diuturni sunt. His propositis, facilis est ad primam contradictionem responsio. cùm definit Galenus acutum morbum esse, qui propria tempora ueLociter percurrit: postea illũ met cùm magnitudine, et periculo esse describit, nulla uelocitatis facta mentione, asserimus hæc non repugnare: cùm idem sit, uelociter moueri, et cũ magnitudine & periculo. eadẽ enim causa est uelocis motus & pĩculi, ut latius suprà ad Galeni mentẽ, & rõnibus, et auctoritatibus probauimus. Ad secundã uerò contradictionem, cùm eosdẽ acutos morbos modò cum febre definit, modò citra febrem: quidam ita respondere conantur, ut cùm morbos acutos citra febrem definit, loquatur ad Archigenis mentem: cùm uerò cũ febre, ad Hippocratis sententiam. sumunt autem hanc responsionem ex Galeni uerbis. 3. de diebus decretorijs ult. quæ ita

conuersa

conuersa fuere: Nam acuti morbi propter uelocitatem periculosi, ut Archigenes describebat: ut autem Hippocrates, cùm febre continua. sed responsionem hanc idemmet Galenus impugnat per Hippocratis sermonem. 1. Prognost. 26. quo in loco Galenus senis uerba ponderãdo cùm dixit, qui cùm febre sunt: inquit hæc uerba apposuisse, quò differentiam poneret inter acutos morbos, qui citra febrem, & eos, qui sunt cum febre. ergo Hippocrates morbos acutos citra febrem agnouit. hoc idem manifestauit. 1. de ratione uictus. 8. inquiens, morbos acutos magna ex parte febrem habere continuam. Ego uero dicerem Galenum, cùm dixit acutos citra febrem fore; intellexisse eos morbos, qui ratione partis acuti sunt: inter quos sunt nonnulli, qui febrem minimè habent. cùm uerò descripsit acutos cùm febre: intellexisse & eos, qui ratione suæ essentiæ, & eos, qui ratione partis, febrem habent continuam. itaque minimè sibi contradicit; cuius oratio ad diuersa refertur. Tertia contradictio nulla est, Galeni mente percepta. Is enim. 6. Apho. cùm apoplexiam morbumque comitialem diuturnos morbos appellauit: causas considerauit horum morborum. s. materialem & formalem, quæ causæ morbum componentes, diuturnos semper, ratione sui, morbos creant. cùm uerò. 2. Apho. appellauit acutos, accessionem considerauit; quæ principes uires destruens acutum reddit morbum. itaque Galenus (modò candidè, nõ contentiosè eius dicta examinentur) nusquam sibi palinodiam canit: uariusque existit; cum undique eius sententię uerę sint: & siquid prima fronte secus apparet; hoc

hǫc ex mala uerborum suorum intellectione ortum habet, nō quod re ipsa ita sit. Est enim auctor grauissimus medicinęque princeps: de quo non immeritò dicere possumus, quod Auerroes de prçceptore suo Aristotele cecinit: nunquam fuisse inuentum errorem alicuius momenti in eius scriptis. Concludamus demum acuti morbi essentiam in uelocitate motus, quę semper periculum ducit: & materię multitudine consistere. non autem, quod falsò nonnulli putarunt, in uelocitate motus tantū: ut suprà latius probauimus. sed, si ueras uelocis motu causas in morbis considerassent, haudquaquā in re adeò clarissima cęcutirent, neque Galenum uarium & in constantem esse, contenderent. Hęc habui, quę de proposita quęstione dicerem, & uobis rei medicę studiosis impartirem.

FERDINANDI CASSANI VIGIANVLENSIS

Quæstio Medica,

Quòd sanguis, & naturalis pituita in uenis sanorum corporum actu sit; potentia humores alij.



VAMLIBET nostri corporis partem sanguine nutriri, nemo est, qui nesciat, uel mediocriter in naturaliũ studijs uersatus. Indiciũ enim faciunt manifestum uenæ per minimas partes dispersæ ipsum deferentes. sicut enim in hortis riuuli à magnis deducti fontibus, aquam per uniuersum ducunt: ita uenæ in animalium corporibus, ex uena maxima, è gibbis epatis enata, ceu ductu sanguine pleno, nutrimentum, ueluti in hortulo riuuli, rigatione quadam ducunt, distribuuntque. Nam carnes tum uiscerum, tum musculorum omnium, ex sanguine ipso nutritionem & alimoniam consequuntur, parua mutatione præcedente. Ossa uerò, quò nutriantur, multas desiderant mutationes. & qualis carnibus ipsis sanguis existit: talis ossibus medulla. paruis autem, & quibus cauitates non insunt, eorum porositatibus inspersa: magnis uerò, & cauitates habentibus, in ipsis collecta. quæ enim similem habent temperiem, & naturam, facilem expeditamve habent

bent mutationem: cùm in habentibus symbolum facilis sit transitus, iuxta illud Aristotelis. quę uerò uariam, diuersamque naturam habent, & temperie discrepant, fieri similia absque magnis multisque mutationibus minimè possunt. ex quo, quod dicitur alimentum, futurum alimentum, & ueluti alimentum. hoc quidem est chartilaginibus muccosum illud circumfusum; nec non ligamentis, neruisque humor crassus & lentus, quem in ipsis sparsum uidemus. horum enim singula ex multis constituta sunt fibris, in quarum medijs succus nutritioni conueniens uisitur: quem ex sanguine uenarum propria facultate eligēdo, traxere, quoad eorum naturam assimilarent. Hinc non sine ratione dubitarunt nonnulli, ortumque magnum inter ipsos certamen: cùm uenę nutrimentum deferant, & sanguis tantùm nutrire uideatur: an tantùm sanguis syncerus in uenis contineatur, cęteri uero humores potentia, ut Aristoteles sentire uidetur? an alijs mistus humoribus, ut Galeno & Hippocrati tribuunt: ita vt bilis utraq; & pituita actu in uenis ipsis existat? Quęstio hęc & utilis & necessaria est. notū enim nobis fit, quomodo nutriatur, augeatur, corpusq; conseruetur. siquidem ex his, quę clauduntur in uenis, hęc omnia fiunt. non enim tantùm homo ex illis generatur: sed nutritur, ac conseruatur in uita. patebit nec non, quomodo sanitas, quomodoque ęgritudo fiat, atque plura alia in arte medica scitu, & memoratu digna. hanc ob causam decreui quęstionem hanc pertractare, ubi sanguinem tantùm & pituitam in uenis contineri actu euidentissi-

uidentissimè probabo. Sed pro tantę dubitationis enodatione, morem seruabo antiquorum, ambigua semper distinguentium, atque terminos declarabo. sic enim clarior habebitur oratio: quod Aristoteles pręcepit, & Galenus fecit in libello illo, An ars tuendę sanitatis pertineat ad medicum, uel ad gymnastam: alijsque in locis. oportet ergo primo, quid per syncerum sanguinē intelligamus, manifestum facere: secundo, quid per uenas: tertio, quid per potentiam: quarto, quid per alios humores. Et, vt à sanguine initium capiamus, Galenus primo de natura humana, bifariam ipsum capi dixit. primo modo pro massa omnium humorum, in quo utraque bilis & pituita inest. dicitur tamen sanguis, ex quo alios succos excellit, suaq́ue quantitate superat, & rubro confundit colore. altero modo pro puro sanguine, synceroq́ue, alijsq́ue humoribus minimè confuso. hic syncerus dicitur sanguis, quia alijs non est mistus humoribus. ut dictionem hanc syncerum. 3. Epid. com. 1. & 2. Prognost. 38. optimè declarat Galenus: etsi quandoq́ue syncerū pro atro accepit, ut in philisco. 1. Epid. Com. 2. de stillatione ex naribus. sanguinem autem syncerum, absolutum ab alijs & seperatum intelligimus in titulo quęstionis. Per uenas, non minus arterias intelligimus, ac uenas. in omnibus enim sanguis reperitur: ut proprio libro Galenus demonstrauit. sed uenas accipimus hominum optimà sanitate, fruentium, minimeq́ue affectorum: cùm in his nulli dubium sit, syncerum non reperiri. uertitur enim sanguis cùm putrescit: nempe pars tenuis in bilim, crassa autem in humorem

melancho-

melancholicum : ut Galenus. 2. de differ. feb. Per potentiam uerò, licet Aristoteles quatuor modis capi asserat. 5. Methaph. nos tamen accipimus illam pro potẽtia passiua, & ut actui opponitur (actus enim & potentia sunt differentiæ entis ualde oppositæ) exempli gratia bilis actu in uenis sanorum non est, sed potentia: quia pars tenuissima sanguinis, cùm putrescit, fit bilis ; & crassa fit humor melancholicus. ex quo potentia sunt, quia sanguis, in ea uertitur. Per humores uerò, de utraque bili uerba facientes, naturales humores intelligimus, ut de bili flauam & pallidam : cùm utraq; naturalis sit. uitellina uerò, porracea, eruginosa, ysatidis, quam. 10. simpl. brassicæ colore magis fuscam appellat, nec non, & rubra : et si istarum aliquæ à nonnullis in uentriculo tantùm generari dicantur : quandoq; tamen in uenis generantur, ut apertè Galenus. 3. Prognost. 39. sed cùm præter naturã sint, à nostro sunt proposito explodendæ : de his enim non loquimur. Quod autem de bili dicimus, idem de humore melancholico sentiẽdum est. nam & hic cùm naturalis reperiatur, & præter naturam, de naturali tantum nostra erit oratio. facienda tamen est distinctio inter ipsum & sanguinem nigrum, cùm ualde distent : ut bene Hippocrates & Galenus. 4. Apho. 21. & 23. is enim semper in uenis est, cùm pars sit sanguinis. at naturalis humor melancholicus, & bilis naturalis dubitationem non paruam faciunt : an actu reperiuntur in uenis sanorum : cùm, quæ præter naturam sunt, nullus sanæ mentis inueniri dubitauerit : cùm morbos pariant. Non eodem

modo

modo de pituita loquimur:nam,cùm hæc triplex sit,naturalis, præter naturam, & excrementitia.naturalis, ut insipida: præter naturam,ut dulcis,acida,vitrea,salsa:excrementitia, ut gypsea, mucus & quæ in uentriculo generatur. quæ præternaturam est, dubitationem facit, an in uenis sit sanorum:cùm insipidam nemo neget.est enim aquea pars sanguinis.siquidem sanguis est diminutè coctus. exquo habet sanguinis formam; sed imperfectam,et cùm formam habeat sanguinis,semper cum ipso erit.hæc potest uerti ob aliquam causam præter naturam,antequã sanguis perfectè fiat,in præter naturæ formam. exquo pituita præter naturam, potentia est in uenis.quæ uerò excrementitia dicitur,neque potẽtia,neque actu intra uenas reperitur.Est ergo quæstionis intellectus,an syncerus sanguis sit actu in uenis sanorum:reliqui uerò humores,ut bilis flaua,& pallida,& humor melancholicus, qui naturales sunt; & pituita pæter naturam, ut dulcis, acida,uitrea,salsa, non sint actu, sed potentia? an omnes sint cum sanguine in ipsis uenis:nõ quòd fieri possint,sed actu sint.Sed,antequam progrediamur, obstiterit aliquis,cùm dixerimus pituitam in uentriculo genitam, fore excrementitiam, & minimè inter naturales humores connumerandam.hoc enim apertissimis uerbis Galeno pugnare uidetur libello de atrabile: & de nat. hum. quibus in locis asserit pituitam in uentriculo generari.& 2.de natura facul. ubi humorum ortum,& locum declarat,pituitæ locum ortus uentriculo tribuit. Hoc idem asserit. 3. de temperam.4.licet clarius in libello de atra bile manifestauerit.

uerit. vt igitur hoc clarè & apertè dilucidetur, oportet ea notare, quæ Galenus. 2. Prognost. 1. de cibis boni & mali succi cap. 3. & 3. de sympto. causis scripta reliquit. Nam triplex est concoctio, nutritioni, ut fini, seruiens: quibus singulis sua propria antecedit præparatio, suus genitus humor, suum excrementum succedit. Prima concoctio est, quæ in uentriculo fit. huius præparatio est, quæ in ore fit mansio. humor genitus siue succus chilosa est materia: quæ postea per uenas sursum ad epar fertur. huius excrementum sunt fæces ipsæ per aluum deiectæ. Altera concoctio in iecore celebratur. hepar enim propria, insitaque facultate, eiusque innato calore chylum ex uentriculo ad se ipsum distributum, attractūque alterat, concoquit, ac in ueram sanguinis speciem formamq; uertit, atque permutat. nam partes quælibet trahunt sibi nutrimentum propria facultate, cùm innatam eam habeant, & non aliunde influxam. ut. 1. de locis affect. ult. & 8. per loca. huius præparatio est in uenis miseraicis mutatio facta. humor genitus est sanguis. excrementa sunt bilis flaua, quæ à chisti trahitur fellis: humor melancholicus fæci uinariæ similis, qui à liene. vrina à renibus per uenam emulgentem tracta, nec non materia in ipsa residens. pituita uerò, cùm finem habeat sanguinis, ut puta nutritionem, unà cum sanguine tendit ab illis puro syncero que. Quod Galenus luculenter explicat, similitudine quadam musti apposita. 2. natur. facul. 9. & 4. de usu part. nam, cùm duorum sit mensium, à floribus parteque feculenta separatum, semper partem quandam

retinet aqueam, quæ dierum spatio euanescit, cùm uini calore concoquatur: ut clarè patet. nam uinum, quò antiquius, eò calidius, aquea parte absumpta: ut. 7. metho. Galenus. Sic in sanguine, à quo utraque bilis secreta, separataque est, pars quædam aquea permiscetur. hæc pituita dicitur naturalis: cui nullum natura dedit receptaculum, cùm sit quasi dimidiò coctum alimentũ. est enim sanguis diminutè coctus. hæc cum sanguine per uenas tendit & arterias, ac ipsa, nutrimenti defectu, utitur natura: & in uerum sanguinem uertit, ut 2. natur. facul. ult. Tertia concoctio est, quæ in singulis fit partibus, quibus sanguis appositus, agglutinatus, in idoneam partis substantiã assimilatur, atque conuertitur. huius præparatio est, quæ in uenis mutatio fit exilibus. humor est humiditas ipsa nutrimenti, quem secundarium humorem nuncupant. excrementa uerò, & quæ insensibiliter euaporant: & quę cuti adhęrescunt, sordes nuncupatę: nec non reliquię serosi humoris, quę gratia distributionis admiscentur: ut 3. Aphor. 15. & 4. de usu par. Sed alia quędam sunt partium excremẽta propria, ut lienis, quę in uentriculo regurgitant: pulmonum, sputa quotidiana: cerebri, id quod per nares, & palatum expellitur, qui propriè mucus, & non pituita dicitur. vt. 3. de sympto. caus. pituita enim non est, licet pituitę temperamentum acceperit: cùm in sanguinem minimè conuertatur, imò incuneatur potius, ac ingipsatur. ventriculi uerò & intestinorum est, quę euomitur, nec non per secessum expellitur: quę ne succus quidem dici meretur, cùm primę coctionis frustratio sit.

sit.nequit enim à natura uinci,uel ratione imbecillitatis,uel ratione cibi,ut puta crassi,tenacis, coctioniq́ue inepti. hęc mea non sunt, sed Galeni,qui passim ea cõfirmat. 4.de usu part. & 2.natur.facul.Ex quo dicimus pituitam uerè in hepate generari,labiq́ue cum sanguine. ipsa siquidem natura utitur alimonię defectu. quam uerò uentriculus generat,ut diximus, ne succus quidem dici meretur; imò, cùm in sanguinem non conuertatur, pituita pręter naturam & appellatur, & est. Id liquidò constat Galeni testimonio. 2.natur.facul.ult.Sanè(ait)quod pituitam expurget, natura nullum instrumentũ condidit, propterea quod frigida, humidaq́ue est: ac ueluti ex dimidio coctum alimentum. desiderat igitur talis succus non utique uacuari: sed in corpore manens alterari. excrementum uerò, quod à cerebro destillat, fortasse ne pituitam quis rectè appellabit: sed,sicuti nominari solet,mucum & destillationem,græcè corizam. quin etiam, quemadmodum quæ in uentriculo & intestinis creatur pituita, cõmodissimè,ac celerrimè euacuatur: naturæ commentum in ijsdem uoluminibus monstrabitur. quod igitur pituitæ fertur, cùm sit animalibus ex usu, nulla euacuatione eget. Sanè animaduertere hoc loco,ac scire oportet, tanquam ex bilis generibus aliud utile,naturaleq́ue in animalibus est,aliud inutile ac præter naturam: sic pituitæ quod dulce est,id salutare esse animali & naturale: quod acidum salsumq́ue est,acidum quidem omnino crudum esse,salsum uerò computruisse. porrò omnimodo cruditas pituitæ est intelligenda, quæ in ea con

coctione incidit, quæ in uenis agitur. non autem ea, quæ prima quæque in uētriculo perficitur: cùm, si hæc deficeret, ne succus quidem omnino esset. Ex quibus uerbis clarè patet, pituitam naturalem, & quæ sanguini pro nutrimento deseruit, in iecore generari: excrementitiam uerò, cùm præter naturam sit, in uentriculo ac intestinis. hanc naturæ alienam pituitam Galenus intellexit locis, qui in contrariam partem afferuntur: idque uel ex eo percipitur, quod hic præcipuè ea de re agit, alijs in locis cursim loquitur, ac præter institutum: cùm alia intendat probare. Posset hoc quàm pluribus firmari argumentis: sed, quia aliud intendimus, vnica ratione demonstrabimus. Sanguis tantùm in hepate generatur, & perficitur: iuxta Galeni doctrinam. pituita est sanguis diminutè coctus. ergo pituita in hepate generatur. Sed, quia longē spaciati sumus, redeundo ad propositam quęstionem, sese plusquam commentator offert. 2. artis med. 44. nouum in medium afferens dogma. sanguinem enim reperiri negat: quo dempto remotoque, frustra laboramus, cùm subiectum sit quęstionis: & de non ente nulla sit scientia, ut primo Post. Aristoteles. Hanc opinionem, cū veritati bonisque auctoribus omnibus ex diametro distet, primo examinabimus: & quoad imbecilles nostrę uires possunt, explodemus: atque ostendemus sanguinem tantùm syncerum in uenis reperiri ad Galeni mentem: cùm Aristotelem in hanc sententiam ire pedibus, nullus sit, qui ignoret. Asserit igitur Turisanus sanguinē purum nullo pacto inueniri, sed in venis tres tantum esse humo-

se humores actu, nempe utranque bilim, & pituitam: quibus mistis & contemperatis, resultare massam quã dam humorum, quę sanguinis temperamentum habet. Hinc dici sanguinem biliosum, melancholicum, & pi tuitosum. &, si temperatus quandoque dicatur, illud esse propter decentem proportionem mistionis trium humorum: hunc autem ipsum, sanguinem absolutè ap pellari absque additiõe colerici, pituitosi, & melãcholi ci: re uera tamen syncerũ sanguinem purumque mini me dari. & pro hac fulcienda opinione multas addu cit rationes. Prima est, à secundum quid, ad simpli- citer: vel à destructione consequentis, ad destructionẽ antecedentis. ea est huiusmodi. Si daretur sanguis pu rus, reperiretur quandoque solus, & separatus: sed nũ quam solus reperitur: ergo non datur sanguis. Altera est, dum sanguis e uena emittitur, si corrumpatur, nũ quam reperitur, nisi in tres substantias segregatus. sicut uinum, quantumcunque defecatum, in tres partes sepa ratur, in florem, fęcem, & uinum. Tertia, lac quod nihil aliud est, quàm sanguis in mammillis à propria earum substantia iterum decoctus, & albificatus, non diuiditur nisi in tres substantias, vt puta caseum, buti rum, & serum. Quarta, cuilibet humori propria respõ det superfluitas, scilicet hypostasis, aquea, & colerica. ergo tres tantum sunt humores. nam, si daretur quar ta substantia, ut puta sanguis, daretur suum proprium excrementum: sed nullum ei datur excrementum pro prium: ergo non datur sanguis purus. Quinta, si daretur quartus humor. s. sanguis, reperiretur aliquod

pharmacum laxatiuum, quod illum educeret. sed latet adhuc Medicos. ergo non datur sanguis purus. Sexta, si daretur sanguis purus, daretur febris genus quartum separatum à tribus illis generibus febrium, uel continuę, uel intermittentis. sed non datur quartum genus febris, quod patet, cùm tria tantum sint genera febrium, ut tertiana, quartana, & quotidiana, & hæc ex proprijs fiunt humoribus, & nulla ex sanguine. ergo non datur quartus humor ab istis distinctus & separatus. Hæc fuit Monaci nostri opinio, breuiter recitata: quæ quantum à ueritatè distet, optimus quisque cernere potest, etiam si parum in medicina fuerit versatus. quod his argumentis confirmatur. Primum sumitur ex necessitate materiæ. quodlibet enim ex quatuor componitur elementis, in quatuor ergo partes resolui debet, quę igni, aeri, aquę, & terrę respondeant. vt bilis, sanguis, humor melancholicus, & pituita. Alterum ex necessitate finis. siquidem omnia mēbra sanguine nutriuntur, ut. 3. natur. facul. ult. alijsque in locis Galenus fatetur, & ratione conuincitur. membra enim saltem consimilia temperamento, vt caro & cutis, illo nutriūtur, quod Aristoteles nō negat. Nec vero consonat, quod ait, si non reperitur solus, ergo non reperitur. nam arguit à secundum quid ad simpliciter. non enim bene infertur, Coriscus non est bonus musicus: ergo non bonus. ita neque de sanguine, non reperitur solus: ergo non reperitur. infirma est consequentia. Quòd si dicas argumentari à destructione consequentis ad destructionem antecedentis, non ualet, cùm antecedens

sit falsum. Praeterea, erroneum est asserere sanguinem solum non reperiri, cùm in uenis sanorum sanguis tantum purus & syncerus contineatur, vt ad Aristotelis, & Galeni mentem latius patefiet. vnde eiusmodi argumentatio omni ex parte falsa deprehenditur. Secunda quoque illius ratio facilè reprehenditur: quia in sanguinis missione, sanguis tantum apparet, & serosa humiditas, non autem reliqui humores. quod patet, quia sanguis tantum concrescit: reliqui humores minimè, vt bene Galenus de atra bile. si enim illi adessent, non concrescerent, sicuti in alui deiectionibus nō cōcrescūt. Ad tertiam rationē dicimus, eū lactis naturam ignorare. licet enim ad sensum, tres tantùm substantiae in lacte noctae fiant: alia tamen quaedam aquea inest, quae cum caseosa parte remanet, & temporis diuturnitate consumitur, vt bene Galenus. 4. simpl. 3. ex quo quatuor sunt in lacte partes, non tres, vt perperam sentit. Ad quartam, dicimus, bilim vtranque & hypostasim caeteraque omnia excrementa corporis, sanguinis fore excrementa, non ceterorum humorum: quandoquidē natura, sanguine solo pro nutrimento vtens, quò propriam substantiam continuo defluentem restauret, continuo illum defecando procedit, quousque ipsum assimilet, partesque nutriat. Ex quo plura condidit receptacula, quaedam largiora, strictiora quaedam. nā primae coctionis, cùm excremēta sint crassiora, fecit intestina. Secūdę coctionis, in qua sāguis elaboratur, tria fecit receptacula strictiora, cùm excrementa tenuia sint, lienē in quo crassior pars residet, uessicā felleā, in qua bilis,

venas, per quas sanguis. Hic verò dissimilis adhuc substantiæ, iterum decoquitur ad cuius superfluitates expellendas, natura porositates fecit, quibus tertiæ cococtionis excrementa expellit: ut primo sanitatis tuẽdæ Galenus. Itaque excrementa quælibet sanguinis sunt: sicut & hypostasis excrementum est sanguinis, non aliorum humorum, nisi potentia. est enim hypostasis excrementum alimenti, quod in sanguinẽ fugit uersionem: ut primo Prognost. ult. Ad quintam rationem respõdemus, Galeni temporibus inuentũ fuisse simplex quoddam, quod sanguinem educebat: præsesque illius ciuitatis inuẽtorem uinctis manibus, oculisque, ne iter agendo illam doceret, morte multauit. ut libello de purgante medicamentorum facultate. & Conciliator differentia. 144. sua tempestate inuentam fuisse herbam sanguinem educentem asserit, quam & ipse non ignorabat. noluit autem posteris eam communicare perhorrescens magnam inde euenturam noxam. Postrema illius ratio falsa omnino est. sumit enim, non dari febrem ex sanguine. At Galenus & interpolatam concedit, & continuam, vt bene legenti duodecimum 2. de differentijs feb. manifestum fit. Ita in sanguine (inquit) putrefacto solent accidere febres, siquidem ephemeras eo tantummodo calefacto: non autem putrescente fieri dicebamus. in putrefactionibus autem (nam & sanguinem quandoque putrescere est necessarium) quærẽdum quæ nam sit harum febrium species. itaque Galenus febrim ex sanguine non negat: sed quærit, quam periodum seruet; & an quartum faciat febrium

brium

brium genus. & paulò infra in eodem capite, febrim intermittentem ex ſanguine concedit. Quare (inquit Galenus) non procul à vero eſt exiſtimandum, ſanguinem ipſum nonnunquam in his, quæ inflammationem patiuntur, particulis, ſubire putredinem: ex qua ſimpliciores quidem, quàm ex alijs humoribus, febres fiunt. & .9. Metho. non ne ponit curationē & ſigna continentis febris, quam in tres ſpecies diuidit (ut ibi quiſque uidere poteſt) quæ omnes ex ſanguine ortum habent, ut Galenus fatetur? imò, ut aliàs forſan probabitur, datur quartum genus febriū, aliud a tribus illis generibus, tertiana, quartana, & quotidiana: cùm detur febris continens nullam harum ſeruans periodum, ſed continuò ægrum afficiens. ſed de hoc aliàs. Quis igitur negauerit ex Galeni mente febrim ex ſanguine? Hac autem miſſa opinione, veluti à veritate aliena, probare conabor iuxta Ariſtotelis mentem, ſyncerum tantùm ſanguinem in uenis contineri: reliquos verò humores potentia: præter pituitam, quæ ſanguinis dimidiatam coctionem adepta, non eſt ab eius miſtione ſeparanda. nec nobis negotium faceſſent rationes nitentium, ad Hippocratis mentem confirmare, omnes quatuor actu in ipſis reperiri, cùm facilè enodentur. tantùm autem abeſt, ut Galenus ab Ariſtotelis mēte diſcrepet: ut in eandem ſententiam concurrat, pedibus ueluti expeditiſſimis, vt per tot loca patefiet, ex ſuis excerpta commentarijs. ſiquis verò locus contrarius apparet, is graui eſt notandus calamo, nec curſim legēdus. Ac prima ratio ex uſu tum humorum, tum uenarum

narum sumitur. Venæ ipsæ, vt Galenus vbique fatetur, nutrimentum deferunt. Sed sanguis tantum nutrit: reliqui verò humores, ut bilis vtraque, & pituita (de non naturali loquor, cum naturalis vt suprà diximus in sanguinem per ulteriorem coctionem vertatur) minimè nutriunt, cùm alterius sint vsus. ergo sanguis solus est in venis. natura enim, cùm sanguinis sit excrementum: bilim, vt ventriculum expurget, detergeatq́;, nec non intestina à pituita sordibusque, creauit. 4. & 5 de vsu par. & 2. de temper. humorem verò melancholicum (vt loco eodem Galenus) vt ventriculi actiones iuuet, firmiores ualidioresq́ue efficiat ipsum constringendo, & in seipsum contrahendo: quippe cùm acerbus, acidusq́ue sit, ventriculum intendit, atque exquisitè comprehendere cibos atque retinere, quoad concoquantur, cogit. Pituita verò prȩter naturam nullius est usus: cùm naturalis per vlteriorem coctionem sanguis facta, nutriat. Itaque sanguinem tantùm nutrire patet. dulcia tantùm nutriunt: amara acerbaque minimè. sanguis dulcis; bilis vtraq́ue amara, acidaque est. fit nāq́; nutritio per assimilationē nutriētis et nutriēdi. dulcia ergo tātùm nutriūt, calida & humida exiſtētia, naturȩque humanæ simillima. Præterea, ex quibus sumus, ex eisdem nutrimur. at sumus ex sanguine. ex sanguine ergo nutrimur. quòd simus ex sanguine, ne Aristotelem in causa propria iudicem adducamus: ostendit Galenus. 2. natur. facul. 3. contra Erasistratum, his verbis: Natura nullius materiæ ueterem formam seruat: quippe ita sanguis essent cunctæ animalium particulæ:

læ: is scilicet, qui à matre confluit ad maris semen, una vniusque formæ materia, ceræ vicæ, artifici subiecta. nulla verò animalis partium, pro ea ratione ex hac rubra, humidave efficitur. siquidem os, chartilago, arteria, uena, neruus, adeps, glãdula, membrana, exanguia quidem sunt, ex sanguine tamen facta. Ecce ait omnes partes ex sanguine fieri: ergo ex sanguine nutriuntur. Sed dicet aliquis, Galenum in hoc sibi contradicere, nam in libris de semine, apertè disputat & ex proposito contra Aristotelem, partes iam enumeratas ex semine fieri: non ex sanguine, cùm ex illo carnosę tantùm partes fiant. hic verò oppositum sentire uidetur. Pręterea, non consequi, ut si sumus ex sanguine: sanguis tantùm nutriat: quia Galenus per sanguinem intelligit massam omnium humorum: qui, quoniam reliquos humores sua quãtitate superat, dicitur sanguis: ut primo de natura hum. Com. 28. his uerbis: Pro eo uerò, quod ex sanguine, semẽ genitum est, qui ex sanguine fœtum generari dixerit, rem ipsam dicere uidebitur. sed non ex mero quidem sanguine; sed ex eo, qui per excellentiam nomen est sortitus. ergo non sanguinem tantùm nutrire: sed reliquos humores simul. Vt primo ad contradictionem respondeamus, cùm absurdum ualde sit, tantum uirum sibi ipsi repugnare: nonnulli dixerũt Galenum opus edidisse proprium, quod de semine inscribitur: in quo suam iecit optimis fundamentis opinionẽ, ac docuit carnosas tantùm partes ex sanguine fieri, reliquas uero ex semine. in libris uero naturalibus, cùm disputatio sit cum Erasistrato, qui ex sanguine omnes par

tes

tes fieri arbitrabatur: proprijs illius fundamentis & principijs cum ipso agit. ex quo non mirum est, si aliter sentire uidetur, quàm in libro de semine: cùm ad hominem ratio dirigatur, non ex propria opinione loquatur. Sed, qui ita dicunt, nescio profectò, quomodo Galeno respondebunt, primo de natura humana, Commen. 28. ubi tandem à ueritate coactus, declarat omnes partes fieri ex sanguine. Ac quasi seipsum exponens & ea explicans, quæ in libro de semine: duas affert responsiones. Prima est, quod omnes partes fiant ex sanguine: quia semen, si cum sanguine cõferatur, ualde paruum est: nec non sanguis illum nutrit, & fouet, & quatenus sanguis est maior, & semen ipsum alit & nutrit: omnes fiunt ex sanguine. Sed animus in hac minime conquieuit. Altera igitur est: quod re uera omnes partes fiunt ex sanguine: quoniam semen materiã habet, unde generetur sanguinem ipsum: & quatenus sanguis materia est seminis, omnes partes fiunt ex sanguine. Sed Galenum ipsum audiamus. In cõmentarijs (inquit) enim de semine plerasque partes corporis ex semine apertum est fieri: cùm solæ carnosæ ex sanguine fingantur. at quatenus seminis parua est in uterum deiecta moles, nutrit autem istud, & amplificat sanguis: hactenus corporis partes ex sanguine prope oẽs. fingi dixeris. pro eo uero, quod ex sanguine semẽ genitũ est, qui ex sanguine fœtum generari dixerit, rem ipsam dicere uidebitur. hactenus Galenus. Ecquis erit adeo proteruus, & contumax, qui hunc locum interpretem librorum de semine, neget? Hoc igitur mihi, nõ

absurdè

absurdè dici posse uidetur, quaslibet nostri corporis partes ex sanguine, ueluti ex materia, fieri, & formari: uerum carnosas primo, & per se, pauca mutatione præcedente: reliquas uerò secundario, multis præcedentibus mutationibus. ex quo luculentum est nullã inter hæc Galeni loca extare cõtradictionẽ: nec inter Galenũ & Aristotilem: nisi penes proximam & remotam materiam, non penes rem ipsam, cùm in eandem deueniant sentẽtiam. Quod autem omnes partes fiant ex sanguine, audi, quæ in.3. natura. facul. asserit Galenus: quo in loco ex professo hac de re loquitur, declarans, quomodo alatur corpus: non cum Erasistrato agens. At carnes (inquit) omniũ quidem tum uiscerum, tum musculorum ex sanguine ipso nutriuntur, exiguam alterationem consequuto. ossa uerò, quò nutriantur, numerosa, quæ intercedat, mutatione egent. estque qualis carnibus sanguis, talis ossibus medulla, scilicet in ijs, quæ parua sunt, sinusque expertia, cauernulis eorum insperfa: in magnis uerò, & quibus sinus non desunt, utique in ipsis collecta. sicut enim in primo monstratũ est libro cap.x. quibus similis est substantia, his mutari inter se fas est: quibus plurimum est discrimẽ inter ipsa, ea fieri similia, citra omnes quæ in medio sunt, mutationes non possunt. tale quidem & chartilagini est mucosum illud, quod ei circunfunditur: præterea ligamentis, membranis, & neruis lentus humor, qui in ipsis insperſus uisitur. singula namque horum ex multis conficiuntur fibris: quæ & similares partes sunt, & uerè sensibiles. in medijs uerò earũ spatijs

tijs qui maximè nutritioni succus cõuenit, est inspersus hunc uero ex sanguine traxerant uenarum electo inde quoad potuere, sibi quam simillimo. assimilant autem sensim, atque in suam naturam mutant. Ergo omnes partes ex sanguine fiunt, cum omnes ex sanguine nutriãtur, ut apertissimis uerbis Galenus adducit, & 2. de elementis cap. 1. Inquit. Quod quidem igitur ex sanguine matris omnes animalium sanguineorum partes sint generatæ, cuilibet est manifestum. Sed statim insurgent aliqui, uerũ esse ex sanguine omnes partes nutriri: sed alijs misto humoribus, non puro & sincero: ut Gale. 1. de nat. huma. loco citato. Huic motæ dubitationi respondemus, Galenum semper infensum Aristoteli fuisse: quia primæ ei in philosophia deferuntur. hanc ob causam, inuidia motus, continuò, cùm ei occasio prębetur ab eius opinione dissentit. Aristotelis opinio fuit, ut. 4. de par. cap. 2. intueri licet, sanguinem tantum nutrire: solumque & exquisitum per uenas sanorum meare. id quod ex ipso met Galeno, locis infrà citatis, cũ & ipse eiusdem sit opinionis, audietis: & si loco in contrarium citato, & cap. 1. 2. de elementis aliter senserit: nimirum amore ductus Hippocratis: ut. 1. cap. 2. de elementis. inquit. n. Quod quidem igitur ex sanguine matris omnes animalium sanguineorum partes sint generatæ, cuilibet est manifestũ. cùm uerò hic sanguis participet & pituitam, & geminam bilim: non absque ratione est orta discordia: nonnullis ex solo sanguine nos esse genitos, nonnullis uerò ex quatuor humoribus, asseuerantibus. non possumus autem

autem æquè in his ostendere ueritatem, sicut in primis elementis. nam sermo uterque habet probabilitatem. Ipse tamen hic ad Hippocratis deflectit sententiã, multasque adducit rationes, quas infrà soluemus. sicut & primo de nat. hum. qui locus nullum nobis negotium facessit, cùm Hippocratẽ exponat, qui huius forsitan erat opinionis, ut ipse. 1. cap. 2. de elementis. & officium interpretis est, omnia quæ auctor dicit, iuxta auctoris intentionem enarrare: etiam si falsa erroneaque senserit: auctoremque minimè increpare, etiam si uera diceret fortissimis nixus rationibus. sic etenim non interpretari, sed contradicere esset, ut. 1. Prognost. Galenus Com. 5. & 1. de ratio. uictus. 8. Quod autem ita sit, lege, quæ. 2. natur. facul. cap. 2. ubi negat aliquo pacto bilim per uenas meare, his uerbis: nam, quomodo quęso, uideatur animali prospicere, si tam noxium humorem, unà cum sanguine ascendere in corpus permittat. & 5. Apho. 37. & 14. de usu par. 8. & 1. sanit. tuendæ. 9. dicit fœtum ex sanguine tantùm purissimo nutriri: raro uero impuro sanguine, & hoc ratione defectus. tunc. n. intemperantior fit, & morbosus, uitioso nutritus sanguine: nisi quæ eum gestat, in reliquo gestationis tempore salubribus utatur alimentis. ut. 1. de symp. causis. 7. hoc idem confirmat clarissimis uerbis de Theriaca ad Pisonẽ, cap. 16. Cor (inquit) purum sanguinem suscipiens, uniuerso corpori, quo nutrire queat, transmittit. ergo purus sanguis nutrit. sed, quia hæc clara sunt, & infrà clariora fient, rationes iam afferamus. Primum, si bilis utraque actu &

non

non potentia esset in uenis unà cum sanguine: sanguis esset amarus, alioque affectus sapore. queadmodum. n. si fellis tantillum in lactis quantitate non pauca inijceretur, lac redderetur amarum: ita & sanguis. at sanguis corporis sani omnis est dulcis, ut cuique gustanti, si uerum fateri uoluerit, notum est. ergo bilis cum sanguine actu nõ est. & si bilis nõ est, nec humores alij, cũ nullum illi priuilegium natura consignauerit. Deinde, si uera bilis, uel humor melancholicus actu cum sanguine permaneret; corpus flauo uel nigro fœdaretur. colore: ut in ictéritia, humore petente & transmisso ad cutim, ueluti totius excrementorum corporis receptaculum. at sanis existentibus corporibus, nil tale accidit. ergo non sunt cum sanguine, nisi potentia. Præterea, patet ex uenæ sectione. nam, cùm sanguis tantum concrescat, cæteri uerò humores minimè, ut de atra bile cap. 2. si cæteri humores essent actu in uenis: sanguis non concresceret, at saltem humores illi non concrescerẽt: sicuti serosa humiditas concretionem nõ patitur, nec in alui deiectionibus concrescunt. Sed sanguis totus concrescit, ergo solus est in uenis. Amplius notum fit ex effectu nutritionis. nutrimenta enim innata sunt partes nutritas trausmutare: ut sex rationibus latè probat Galenus. 3. symp. causis. 2. si utraque bilis nutriret aliquas corporis partes, & actu esset in uenis cum sanguine, partes nutritæ eorum sapore inficerentur. sed nulla pars uel amara, uel acida gustatur. ergo illi neque nutriunt, neque sunt cum sanguine. ut hinc pateat error dicentium pulmonem bili nutriri: cũ

tantùm sanguine tenuissimo purissimoque nutriatur. vt.4.de vsu par. 15. Accedit Galeni auctoritas, qui 10.simp.sanguinis naturam manifestans inquit, intelligendum esse de sanguine animalis secundum naturã se habentis, cùm is re vera sit sanguis. nam melancholicus, pituitosus, & biliosus, aut putridus sanguis, est mistus, scilicet ex sanguine vero, et succo, aut sanie illi permista; ac si diceret, loquor de sanguine corporis sani, qui verè sanguis est, & exquisitè sanguis, aliis non mistus humoribus: non de sanguine corporis ægri: cùm ille sanguis solus & exquisitus non sit; sed biliosus, uel pituitosus. & excrementosus. Et. 5. de vsu partium cap.4. Cæterũ (inquit) cur excrementum id biliosum in uenas & arterias non distribuatur, in illis commentariis demonstrauimus, in quibus reliqua omnià naturæ opera exposuimus. intelligit autem tertium librum natural. facul. vbi dixit sanguinem tantum nutrire: illa uerò minime. &. 2. eiusdẽ, vbi dixit, quomodo quæso (loquens cõtra Erasistratum) videatur animali prospicere, si tã noxium humorẽ vnà cũ sanguine ascendere in corpus permittat. Et. 4. de vsu partium. 3. & .4. eam, quæ in hepate, coctionem declarans, humorumque digestionem segregationemque, musti exemplum affert his verbis. Sit igitur vinum aliquod nuper quidem ex vuis expressum, sed infusum in dolia; ab innataque caliditate adhuc elaboretur, ac secernatur, concoquaturque ac ferueat: ipsorum excrementum, quod quidem est graue, ac terreum, (quod opinor fæcem vocant) in fundo vasorum subsideat: alterum verò, quod leue est

F *& acreum,*

& aereum, supernatet. vocatur autem flos, extatq; subtilibus vinis, vt crassioribus alterum subsideat plurimum, necesse est. Porrò iuxta exempli similitudinem intelligo mihi distributum à ventriculo, ad hepar chylum à visceris caliditate (veluti vinum ipsum mustum) feruere, concoqui, in sanguinis boni generationē: in ebullitione autem hac ex ipsis excrementis, quod fæculentum quidem est, ac crassum subsidere: innatare verò, quod tenue est ac leue, & veluti spumam quandam in sanguinis superficie fluitare: siquidem vesicā, quæ leue & flauum superfluum receptura erat, natura imposuit hepati. splenē verò, qui crassum & limosum attracturus erat, maximè voluisset ipsis portis subijcere. & infra: Postquam igitur deposuit, qui apparatur in hepate chymos, idest humor ad nutrimentum animalis, prædicta duo excrementa, & ab innata caliditate coctionem exactam est adeptus: ruber iam & purus sursum ad gibbas partes hepatis ascendit. ignis in humido diuini portionem ab eodem detersam colore præseferens, vt Plato dicebat. hæc ibi, & multa alia. dixit, ruber iam & purus sursum ad gibbas ascendit, & ab alijs defæcatus. ergo purus sanguis in uenis reperitur, non mistus alijs humoribus: cùm illi loca petierint sua. Et de Theriaca ad Pisonem. 16. vltra mediū cap. inquit: Cùm enim natura valida est, tūc etiam sine impedimento ventriculus cibos concoquit: ac venæ ipsos promptè in sanguinem redigunt: iecur bilim facilè segregat. cor purum sanguinem suscipiens, vniuerso deinde, ut iam nutrire queat, corpori transmittit.

cor

cor(inquit)purum ſanguinem ſuſcipiens, vniuerſo corpori tranſmittit. ex quibus verbis notum nobis ſit,& purum ſanguinem eſſe in venis, & purum ſanguinem nutrire:quando cor purum ſanguinem ſuſcipiens, vniuerſo tranſmittit corpori, vt alimoniam præbeat. Et 3.natur.facul.cap. 1[illegible].declarans,quomodo ventriculus tempore famis malis repletur humoribus, inquit: Itidem venter ex iecore facilè trahit, cùm hic quidem vehementer nutriri appetit, illud nutrimento eſt plenum. ſiquidem ventriculus excrementis impletur, quæ ſanies ſunt quædam biliosæ, pituitoſęque, atque ſeroſę, quas ſolas trahenti illi,tunc.ſ.cũ nutrimento indiget; iecur remittit. Ex quibus verbis tria habemus.primò venas tantũ ſyncerũ ſanguinẽ continere,cùm dicat,ſanies biliosas iecur tranſmittere;non venas. ergo in venis nõ ſunt. Deinde,pituitã in hepate generari, ad confirmanda ea,quę ſuprà diximus.Poſtremò vtramq; bilim, & pituitã excrementa fore ſanguinis licet.n. pituita ſanguis fiat per vlteriorem coctionẽ:tamen excrementum eſt, cũ priuſquã in ſanguinem uertatur, ipſam natura purificet continuò,ac puriorẽ in ſanguinẽ vertat: reliquum verò expellat: partem craſſam per vrinam, tenuem per inſenſibilem tranſpirationem tranſmittat & conuenientes regiones. Et. 4.de vſu part. 10. declarãs cauſam,quare in hepate,tam magno& principi membro,adeo minimus inſertus ſit neruus,inquit: Hepar à quatuor inſtrumentis purgatur, duobus quidem renibus,tertio autem ſplene, tum quarto veſica ipſi adhærente. quare,cùm nullus in eo ſuccus malignus, & ac-

ris mansurus esset, sensu maiori haudquaquam indige bat. Ex quibus Galeni uerbis habemus nec bilim, nec humorem melancholicum per venas spaciari: quando quidem vltra felleam vesicam, quæ continuò bilim tra hit, illa portio bilis, & humoris melancholici, quæ remanet: partim ad ventriculi fundum transmittitur: illa vt abstergat, hæc vt ventriculum cogat, intendat, ac contrahat: partim à renibus trahitur: quæ postea vrinam reddit coloratam. ex quo sanguis solus pro nutritione remanet. vt. 5. de vsu par. 6. & .4. cap. 6. So lus (inquit) postea is purus it per totum corpus, pauco omnium ipsi admisto aquoso humore. quid hoc clarius dici potest? hæc sola sufficeret auctoritas. Hoc idē percipitur ex eius dictis. 2. Aphor. 37. nam exponens Hippocratem, quare qui sano sunt corpore; hi magna cum difficultate purgationes tolerant: inquit, Nam & vertigines, & tormina patiuntur: & difficulter his purgatio succedit: propterea celeriter exoluuntur. fiunt autem hæc omnia purgante medicamento, proprium quidem humorem attrahere appetente, vel flauam bilim, uel atram, uel pituitam, aut aquosam super fluitatem. quia verò isti non adsunt, sanguinem colliquat & carnes, vt ex ipsis proprium traheret humorem. Si (vt ait) sanguinem colliquat & carnes: in sanguine alij humores non adsunt actu. quippe qui si adessent, sanguinem & carnes colliquare non oporteret, vt de potentia ad actum reduceret: sed illos traheret. hoc idem asserit libello, quos oportet purgare, & quando: inprimis verbis, vt cuique legenti patet. & .3. sympt.

causis

causis.2.vbi expulsiuam virtutem declarans, postquã morbos ex excrementis redundantibus enarrauit, inquit: Atque ita quidem fit, vbi quodque excrementum syncerum redundat: vbi autem & inter se, & cũ sanguine miscentur; complures tam symptomatum, quàm morborum species existunt. cũ sanguine (inquit) miscentur. nam corporibus salubribus, non sunt cum sanguine misti, sed separati. &.2.ad Glau.10.de cancris sermonem habens, inquit: Hi verò omnes tumores ex atræ bilis superfluitate generantur: de qua diximus in Commentarijs de poten. natur. vbi ostendimus hunc humorem, dum sanguis in hepate fit, fæcis vinariæ pro portione generari: expurgari autem à splene, qui ex eo naturaliter habet alimentum. cùm igitur naturalis temperatura hunc humorem paucum generauit, & ratio victus adhibita confert, & splen satis attrahit: ex eo qui generatur nulla huiusmodi superfluitas in venis coaceruatur. at cùm contraria eueniunt, tunc in venis multiplicatur: & eas, de quibus dicturi sumus, facit ægritudines. quid hoc clarius dici potuit? quo in loco manifestissimis verbis, vel cęco notis, suam sententiam pro nostra firmanda opinione declarauit. Et.2.ad Gla.1.inquit: Flaua verò bilis, quando suam seruans naturam vnà cùm sanguine per totum corpus defertur, morbum facit, qui regius appellatur. sola verò quando secernitur, & in aliquo membro consistit: herpes uocatur. Si (vt inquit) quando bilis naturalis cum sanguine tendit, morbos creat: bilis naturalis nequaquam in sanis corporibus cũ sanguine uadit. Et libro de pleni

tudine cap. 11. inquit multitudinem fieri, aut quando omnes humores æqualiter peccant, aut quando solus sanguis: cùm reliqui non plenitudinem, sed cachochimiam efficiant. hoc idem. 2. per loca cap. 3. his verbis loquens de plenitudine. & si contrarius sibi uideatur Galenus; aliàs tamen soluemus. Fit autem (inquit) quatuor humoribus ex æquo auctis, aut etiam sanguine solo. nam cùm alius quispiam humor redundarit, veluti est pituita, & flaua bilis, itemq; nigra, eiusmodi auctionem siue redundantiam, non plenitudinem, neque simpliciter multitudinem, sed cum appositione pituitæ, aut bilis flauæ, itemque nigræ in corpore factam multitudinem dicunt. Si (vt ait) sanguine solo, solus sanguis in corporibus sanis in venis continetur. & .5. de locis affectis vlt. inquit: Accidit interdum, vt ob huius folliculi imbecillitatem impurus fiat sanguis, atq; idcirco alia eueniat morbi regij species. & . 6. de locis affect. 1. Igitur attrahendi facultate facta imbecilliore, sanguis in iecore in vniuersum corpus impurus trãsmittitur: quocirca color nigrior euadit. Impurus (inquit) per corpus tendit imbecillitatis ratione: ergo, cũ facultates optimè valent, corpusque sanum est, sanguis purus in venis reperitur. Ad cæteras autem rationes, quibus id confirmatur, illa quoque accedere potest. Si omnes humores nutrirent, & actu in venis reperirẽtur, non autem solus sanguis: consequeretur, vt primo & per se illud efficerent, & non per accidens, & sub alia forma. at pituita non nutrit primò & per se, quatenus pituita, sed quatenus iterum concoquitur, & forma

ma induitur sanguinis. ergo solus sanguis nutrit, solus que est in venis tantum nutrimentum deferētibus. hæc ratio ex Galeni fundamentis percipitur 2. natural. facul. Ex quibus omnibus, tum rationibus, tum auctoritatibus, colligi licet, iuxta Aristotelem, sanguinem tātum syncerum in venis contineri: Galenumque huic sententiæ non repugnare: vt ex tot citatis locis manifestum est. Sanguinis autem pars tenuis in flauam bilim; crassa in humorem melancholicum vertitur. & hoc vel propter æstum, vel exercitium, vel laborem, vel rei calidæ occursationem, nec non vehementem obstructionem, aliasque causas tam non naturales, quàm præter naturam. Contingit quandoque, ut aliqua bilis, vel humoris melancholici portio in venas elabatur. bilis quidem, cùm iecur immodico calore afficitur ex quo quantitate peccabit, aut fellis vesicula obstructa, interclusaque est, et bilis in eam permeare nequit; uel meatus qui ad inferius ventriculi ostium eam defert, èst obstructus, vel imbecillior factus, non valet sanguinem ab humore illo defecare, ac mundum reddere, expurgareque. Pituita etiam non naturalis, cùm vel venæ, vel iecur ob ingentem frigiditatem, cruditatem pariunt. Ex quo in illis vel icteritia fit, si bilis totum corpus occupauerit: vel erisipelata, & vlcera serpentia, si vnam aliquam particulam obsederit. Humor uerò melancholicus, si in toto corpore, icteritia, uel elephantia: si in vna quapiam particula, cancer, aliique morbi. Sic verò uel obstructio uel leucophlemmatia si in toto corpore, in vnica verò particula, tumor qui

œdema dicitur; quam indolentiam, ac laxum tumorē dicunt, aliaque morborum genera fiunt innumera. Sed corporibus ſanis exiſtentibus, modo vitium non ſit in facultatibus, vel cibo, & potu, vel in meatibus, vel propter vitæ rationem, vt equitationem, piſcationem, venerem, balnea, ambulationes, venationes, omnia denique in quibus aliquid corpore agimus; nihil horum accidit: ſed ſanguis tantùm ſyncerus in venis continetur; cæteri verò potentia, vt ſuprà latius probauimus. Sed dices, oppoſitum de natura humana fatetur Hippocrates, cuius rationes adducuntur à Galeno. 2. de elem. 1. nam ſanguis quidam certiſſimè rubeus videtur, quidam flaueſcit, quidam ad nigredinem tendit, quidam verò albam ſuperficiem repræſentat, & nonnunquam liuidus apparet totus. ergo in venis omnes ſunt quatuor humores actu. Præterea, ſi cui medicamentum propinaueris, talem euacuabit humorem, qualem natura attrahere aptum erat: vt ſi bilim euacuare volueris, adbibuerisque medicamentum bilim educturum, bilim educet. ſic de humore melancholico: ſic de pituita aſſerendū. ſiquidem ſi aqua inter cutē laborātibus, vel cancro morbo affectis medicamentum dederis, quod illos euacuet humores, certè melancholiam & pituitam euacuabit. ergo in venis alij ſunt à ſanguine humores. Adhæc Galenus. 2. natur. facul. cap. 9. poſtquā humorū generationē declarauit, inquit, aliquid horū humorū cū ſanguine per venas tendere. ergo in venis alij ſunt humores: non ſanguis ſolus. hoc idem aſſerit libello de plenitudine: vbi omnes quatuor humores eſſe in venis apertiſſi-

apertissimis verbis demonstrat. ergo sanguis solus & exquisitus in ipsis minimè reperitur. His rationibus & auctoritatibus nonnulli probare conantur, sanguinem solum in venis nunquam reperiri. sed si apertis oculis, & non conniuentibus, Hippocratis & Galeni verba mentemque respiciamus: manifestum fiet omnibus, de corporibus ægris Hippocratem loqui: minimeque de his, qui inculpata sanitate fruuntur: id quod Galenus ipse. 2. Aphor. loco citato clarè ostendit. Idem intellectus tribuitur Galeni verbis libello de multitudine reseratis. nam, cùm humores omnes sint in venis, corpus plectoricum fit, & tunc sanum dici non potest (licet actionem sensibiliter læsam non habeat) cùm facilè in morbos incidat. Quod verò. 2. natur. facul. dicitur, accipiendum est de humoribus quantitate peccantibus, temporibus calidissimis, ætateque calidissima. his enim temporibus, & corporibus, bilis, & flaua, & atra, in non pauca quantitate generãtur: quæ cùm earum vasa receptaculaque præ multitudine non sint capacia, per venas meant: postea que temporis cursu faciunt morbos, vt bene sua verba legẽti manifestum fit. Possumus quoque ita accipere & interpretari, ac si diceret, non nihil horum cum sanguine tendere potentia: non quòd actu cum sanguine tendant. siquidem pars tenuis ipsius in bilim, crassa verò in humorem melancholicum vertitur. Sed dixerit aliquis, si Hippocrates & Galenus de corporibus ægris, & humoribus præter naturam auctis, semper loquuntur, cur sanis quandoque adhibito pharmaco tales humores educuntur?

tur? Primùm respondemus eos sanos nõ esse, sed ægros: licet insensibiliter: cùm humores illi præter naturam sint, & cito ægrotare facerent, nisi euacuarentur: sicut his contingit, qui vel æstate, vel hyeme aliquo affici solebant morbo. nisi enim vel vere, vel autumno purgarẽtur, facilè in illos incurrerẽt: vt Hippocrates & Galenus docent, ac factitasse dicunt: 6. Aphor. 47. & libello quos oportet purgare, & quando. Deinde dicimus, & verius, humores illos minime è venis fore eductos, sed vel à ventriculo, & intestinis, si pituitosa: vel à vesica fellea, si bilis: vel à liene, si humor melancholicus: à venis verò haudquaquam, apti tamẽ sunt per venas meare, cùm multitudine peccant. quibus in locis, postea hi putrescunt, febres generant: sin minus icteritiam, aliosque cutaneos affectus. vt. 3. de sympto. causis. ex quibus, iudicio meo, rationes omnes oppositæ ruunt. Concludamus igitur, quoties Galenus, vel Hippocrates dicunt omnes quatuor humores esse in venis: verùm quidem dicere de corporibus ægris, & potentia non actu: cùm hæc sit eorum opinio, vt Galenus ipse fatetur. vt suprà latè probatum est, & rationibus, et auctoritate. sanguis enim cùm diuersarum sit partiũ, pars eius tenuis, ex ira, exercitationibus, æstibus, frictionibus, medicamento calefaciente, & victu consimili, vinis meracioribus, aliaque intemperie calida: facilè vertitur in bilim: sicut crassa in humorem melancholicũ. fit etiam frigidior & humidior, totusque pituitosus & ob frigiditatem aliquam recentem, & ex otio, victu humido, aliisque causis refrigerantibus, & humectanti-

bu

bus. Itaque in venis sanguis solus est, potentia humores omnes, vt suprà conclusum est, tum ex Aristotelis mente, tum ex Galeni sententia, quæ ex pluribus locis colligitur: & si varius quandoque apparet, cùm Hippocratis amore ductus, in eius sententiam ire videtur.

FERDINANDI CASSANI VIGIANVLENSIS

Quæstio Medica,

Quòd ſedimentum in ſanis, & ægris eiuſdem ſit ſpeciei.



AGITATA quæſtio eſt, & inter iuniores & antiquos medicos: an ſedimentum ſanorum & ægrorum eiuſdem ſit rationis & ſpeciei? Vtilis profectò res & neceſſaria in hac controuerſia & contentione verſatur. Tertiũ enim eſt ſignorũ genus, nẽpe excrementum, quo & ſalutem & mortem præſentimus. Vnde maximus præceptor Hippocrates primo Epid. Com. 2. Coctiones iudicij celeritatem, ſecuritatẽque demonſtrant: cruda verò, & incocta: & alia. Niſi enim ſedimenti cognouerimus naturam, eſſentiamq́;, quomodo per ipſum rectè iudicabimus? Veritas autem cunctis in artibus neceſſaria eſt, cùm intellectus ſit finis: & nullus hucuſque, quem viderim, huius controuerſiæ ueritatem ne à limine quidem ſalutauit. Recentiores enim nonnulli cùm diuerſæ ſpeciei eſſe dicant, materialique cauſa & efficiente differre: ſcopum ſe attigiſſe iactant: at ipſi omnino falluntur, tum circa eorum cauſas, tum generationem. Pluſquam commentator

tator verò, licet ex parte uerũ assequatur, in nonnullis tamen fallitur. Sed agendæ sunt ei gratiæ, quòd alijs ansam præbuerit perscrutandæ ueritatis. neutri igitur iudicio meo ueritatem attigere. Ego uerò non tantum mihi tribuo, ac uendico, ut uiris alioquin unde quaque eruditis me doctiorem existimem. neque id ago, quod recentiores scriptores factitare solent: qui passim & ubique scaturiunt, nil aliud edentes, quàm meras tum uiuentium, tum mortuorum calumnias: tanto detrahẽdi ardore, ut facilè deprehendantur ob id tantum scribẽdi studio detineri: quo gloriã sibi ex alieno cõparent opprobrio. quod à maiorum nostrorum moribus erat quàm maximè alienum. nil enim quotidie excogitabant, in mediũque afferebãt, quàm quod artẽ augeret, ornaret, ac clarius, facilius explicaret. Sed ne ueritas (quam tanti facio) lateat, in medium proferam, quæ ueriora sentio: sedimentum sanorum & ægrorum eiusdem fore speciei & rationis: tantummodo maiore minoreque naturæ familiaritate, & putredine differre, non materia, non causa efficiente, non naturæ fine, non forma, non modo aut loco generationis, non denique significatione. Ac dum ista tractamus, ne latũ quidem unguem à Galeno, & auctoritate & ratione discedimus: idque non immeritò. Is enim ingenij sui magnitudine reuocauit, ueluti ab inferis, medicinam, post Hippocratem longo tempore, profunda caligine obrutam: ut iure sibi primas in hac arte uendicauerit. Nullũ autem hic discrimen faciam inter hypostasim, nubeculã, et sublimamentum: cùm hæc paucitate tantum, & multitudine

titudine excrementi differant, eiusque tenuitate, craſ ſitie, & ſpiritus admiſtione: materia uerò efficiente, loco, & modo generationis, minimè. id enim eſſet librum ex libro edere: quod nonnulli recentiores faciunt, qui quotidie libros excudi mandant, nihil ſuo marte & propria inuentione afferentes, ſed tantùm deſcribentes aliena. Nec tempus cõteram circa urinæ generationis modum, locumque: cùm clarè pateat, ipſam in hepatis generari conuexo, ubi ſanguis perficitur. ut. 3. de ſympto. cauſis: non in uenis, ut nonnulli dicunt, cùm non oporteat multiplicare entia ſine neceſſitate, nec quartam ponere coctionem: ut puta uaſorum, quorum urinam faciunt & hypoſtaſim excrementum. At triplicẽ tantùm Galenus fecit, ut ſexcentis in locis ſcriptũ reliquit. & propriè. 3. ſympto. cauſis. 2. quæ uerò in uenis celebratur, eadem eſt cum ea, quæ in iecore fit: ut de cibis boni & mali ſucci cap. 3. & . 2. prognoſt. 1. Galenus. coaceruatur tamen in uenis & arterijs, cùm deſeruiat pro uehiculo humoribus. ut. 4. de uſu par. 5. ex quibus renes à ſanguine ſecernentes, ad ueſicam tranſmittunt. ſed in renibus & ueſica tantum urina dicitur: in uenis uerò, ſeroſum excrementum: ut de lapide renum cap. 1. quiſquis ſit auctor ille, ſiue Galenus, ſiue alius. hypoſtaſis uerò, cuius ſit excrementum, patefaciemus, ſi primò eius eſſentiam, quidditatemque declarabimus. definitiones enim completæ, & perfectæ, & eſſentiales innatæ ſunt reddere cauſam omnium accidẽtium exiſtẽtium in re: ut bene Auerroes. 4. Phyſi. & eius præceptor.

ptor. 1. de Anima: nec non omne causarum genus continent. ut Galenus. 4. de differ. pul. 2. pulsuum definitiones tradens. & 8. Meth. Aristoteles. Est ergo hypostasis excrementum quoddam crassum ex alimento, quod in hepate sanguificationem refugit, propter causam aliquam præter naturam, in uenis & arterijs, à propria earum facultate, ad eorum naturam quodammodo assimilatum, ad propriam substantiam conuertat. Hæc definitio à Galeno traditur, atque ex eius uerbis colligitur. 1. prognost. ult. quæ definitio totam rei essentiam declarat, ac omne, quod habet, causarum genus. quod habet (inquam) quia res, quæ præter naturam sunt, finem desiderant. Constat etiam ex genere & differentia. nam primò ponitur excremẽtum loco generis, reliquæ uerò particulę, loco differentiæ. crassum ad differentiam tenuioris, quod per arteriarum constrictionem & uenarum expellitur: à medicis uocatum putrida fuligo, uel fumida superfluitas, ut. 2. de causis puls. 2. & de usu puls. 3. in fine: nec non seri. Quod uerò alimenti in sanguinem uerti non potuit: est causa materialis illius. Quod autẽ sanguificationem refugit propter causam aliquam pręter naturam, declarat modum generationis. quandoquidẽ cùm optimè se habet corpus, nec alimentum in aliquo deficit: nulla fit hypostasis. generatur uerò (ut infrà latius) cùm pars aliqua alimenti præ imbecillitate naturæ, uel uitio materiæ fugit sanguificationem, quæ transiens per arterias, & uenas fit hypostasis. In uenis & arterijs, notat locum generationis: quia pars illa,

illa, quæ uersionē fugit in sanguinem in hepatis gibbo transit in uenas & arterias: quo in loco natura frustra ta fine, fecit, quod potuit. A propria earū facultate: causam efficientem significat. facultas namque naturalis, quæ cuique inest membro. 1. de locis affec. qua membra nutriuntur, agit in illud. A propria: nequis putaret, quod uirtute transmissa ab hepate illud efficeret. Quodāmodo assimilatum: causam declarat formalem. nam, cùm facultas naturalis nequiuerit in propriam substantiam transmutare, qui finis est intē tus: fecit, quod potuit, dealbauit, ac ad partium solidarum colorem reduxit. Vt ad eorum substantiam: finem significat naturę. finis enim naturalis facultatis est, assimilare rem ad suā substantiam. quod si fieri nequit, expellit: cùm excrementum sit nutrioni ineptum. Hac posita definitione, ita argumentamur: Cui competit definitio, eidem competit definitum. utrisque autem sedimentis eadem competit definitio. ergo utrisque competit definitum. Aßumptio, quam negare possent, probatur per Galenum. 1. prognost. ult. vbi hanc tradidit definitionem, quæ & ęgrorum & sanorum sedimentis competit: quod manifestum facit exemplum illud de pure. etenim, vbicunque de hypostasi uerba facit, puris similitudinem inducit: vt primo de differ. feb. 3. de presag. expuls. 8. alijsque in locis. nec aliam alibi tradidit definitionem. Deinde eadem utrisque materia, idem efficiens, forma eadē, finis, locus, modus generationis ijdem, idē quoque denunciant. ergo eiusdem sunt speciei. quod sit eadem

mate-

materia patefiet, modum generationis declarando. pro quo sciendum est cibum, postquam primam in uentriculo acquisiuit coctionem, per uenas miseraicas ab hepate trahi: & continuò concoqui: ac per concauum ad gibbas partes perueniendo, perfectam sanguinis conuersionem nancisci. at, si uirtus ualida est, nullumque sit chylo uitium, nihil (vt ita dicam) insanguificatum remanet: si uerò facultas imbecilla, aut uitium est in chylo, chyli pars aliqua fugit sanguinis conuersionem. quæ cum sanguine per uenas & arterias transcurrens, nec ualens earum facultas ad substantiam transmutare, crassam partem per vrinas expellit: tenuem uerò per insensibilem transpirationem, & halitam. ex quo corpora, quę inculpata sanitate uiuunt, nullum in urinis faciunt sedimentum. at quia raro corpora huiusmodi sortiuntur temperiem, vt plurimum, in urinis sanorum hypostasis inuenitur: sed eò maiorem inuenies: quò maiori lapsu corpora uiuunt. siquidem, si inualida facultas est concoctoria, ualidaque expultrix, & peccatum est in cibo, maiorem hypostasim habent urinę. unde pueri & pituitosi maiorem faciunt hypostasim, quam biliosi. uirtus enim imbecillis, non potens in hepatis gibbo perfectè concoquere, & sanguificare: multum alimenti sanguificationem fugit, quod quantitate, uel qualitate peccabit. erunt nihilominus in ipso omnes misti humores, quia omnes sunt in sanguine (licet potentia, non actu: ut latius, ad Aristotelis & Galeni mentē, superiori quæsito probatū fuit) at illud in sanguinem conuertendum

G dum

dum erat: fieri tamẽ nequiuit propter sui ineptitudinem, & repugnantiam, uel naturæ imbecillitatem. quòd si excerni nequiuerit, necesse est putrefieri, & febrem parere: quod postea residet in urina. hoc totum scriptum reliquit Galenus uarijs in locis. & (ut aliqua loca afferamus) audi, quæ. 1. Epid. com. 1. test. 43. Ergo (ĩquit) ubi corpus bene habet, cũque ei quod concoquitur, cum eo quod concoquit, naturæ intercedit familiaritas: mutatio fit & alteratio totius concoquendæ materiæ: aut maximæ partis eius, minimumque superat semicocti. at, quando prꝣter naturam affecta sunt, quod accidit, vbi sunt à natura immutantis & alterantis aliena: id quod assimilatur, paucum est: semicoctum verò excrementum multum. Ex quibus uerbis habemus modum generationis: quippe ex repugnantia passi, & præ imbecillitate uirtutis. habemus etiam eandem esse materiam: differre tantum maiori, & minori familiaritate; & uirtutis firmitudine, & imbecillitate. at magis & minus non uariant speciem; ut dicunt. ergo eiusdem sunt speciei. habemus etiam eandem esse facultatem & causam efficientẽ. hæc clarius declarat. 2. de differ. feb. 5. his uerbis: Semper enim suis natura uiribus vtens, quidquid optimum fieri contingit, his quæ aluntur partibus assimilare: quidquid uerò alienũ conatur excernere. quod si aliquando ob crassitudinem aut multitudinem aut tenacitatem materiæ inutilis, aut aliquam meatuum obstructionem, aut propter sui imbecillitatem; totum quod vitiatum est, nequeat expellere: necesse est, ut si

id diutius

id diutius in animalis corpore perdurauerit, corrumpatur. neque enim fieri potest, ut aliquis quispiam ex humoribus talis permaneat, qualis erat ab initio: nedum qui ita deprauatus, ut naturę cultus sit expers. Sed alterum omnino sequatur. s. vt concoquatur, & apponatur solidis particulis, atque assimiletur: aut corrũpatur & putrefiat. exẽplũ tradidit de materia biliosa, quæ cùm concoqui amplius non possit, cùm probe nequeat expelli: arquatum facit morbum: aut putrefacta, febrem. Vnde colligitur eandem esse materiam vtrisque: quę cum expulsa non fuerit, & putrescit, facit febrem: si uerò non putrescit, aliam affectionem parit. & eiusdẽ. 2. cap. 14. in principio. Duplex autem in omnibus entibus extraneum, alterum quantitate, qualitate alterum: hoc autem aceruari contingit ob harum potentiarum, quæ in membris sitæ sunt vel uigorem, uel imbecillitatem. cùm enim ęquè ualentes sint, & meatus, qui materiam inutilem excernunt, secundum naturam se habuerint: tunc membra in sanitate consistunt. vbi verò plus assumptum fuerit, quã possit alterari: omne, quod superfluum est à uirtute expulsoria trusum, neceßariò excernitur. quòd si imbecilla fuerit, in eodem residet loco: si multum fuerit, grauat, atque extendit: si uerò acre, excedit, ac mordet. sed quod calidum est, calefacit &c. Hoc in loco clarè patet eandem esse materiam vtrisque: cùm excrementũ sit, quod alterari nequiuerit, & sanguis fieri. differt tamẽ, quia in sanis non putrescit: in ægris uerò, quia expulsiuam habent imbecilliorem, putrescit, & minus fit na-

turæ familiare. hoc luculentius fit ex.2.prognost.36. Cęterum(ait) nullo pacto sedimentum habet vrina, si tenuiter: copiosum uerò, si largius: exiguum, si modicè uiuitur. quin etiam in morbis biliosis, ad colorem croceum: in his, quos crudi comitantur humores, ad candidius tendit. porro sedimentum habet copiosum, quoties morbus ex humoribus crudis fatigat corpus. nullo uerò modo, aut omnino minimum, quoties ex biliosis: sed satis erit, si habeat sublimamentum. Itaque inquit sedimẽtũ in morbis esse partem humorum crudorũ; qui propter ineptitudinem eorum sanguificationem fugit. ergo eadem materia, & putredine tantùm discrepant. &.1.de crisibus. 12. in medio. Præterea & in pueris omnibus ferè, & perfectam ætatem habentibus, qui otiosam vitã degunt, aut quouis alio modo pleni sunt: satis multa habetur urinæ subsidentia. quoniam plus inest de inconfecto, & crudo humore: his propter desidem vitam, illis propter satietatem. Ac satietas non sola causa est in pueris (voratiores enim sunt) sed etiã hoc, quòd una ventriculi operatio, non potest duobus simul sufficere, augendo scilicet atque alendo. antequã ergo sufficienter alimẽtum coctum sit, ad se corpus trahit, atque hinc fit, vt plurimum crudi humoris aceruẽt. hæc quoque causa est, his qui ex otio, & repletione febricitent: si sanitati restitui debent, necessario plurimum subsideat, oportet: contrà uerò his, qui ex inedia & labore: rufæ quidem & biliosæ urinæ & deinceps. Vbi luce meridiana clarius ponit eandem esse materiã vtrisque: cùm dicat sedimentum augeri illis propter

otium.

otium, & multitudinem cibi: qui si febricitabunt, oportet multum illius sedimenti exire, si sanari velint: cùm febris ortum ducat ex sedimento illo retẽtõ. quod cum retẽtum fuerit, putredinem & febrẽ peperit: quæ si amoueri debet, oportet putredinem remouere, quæ in sedimento fundatur. Perspicuum igitur est, eandem materiam confirmari: ac eo differre tantum, quod in sanis putredinis est expers: in ægris verò minime, cùm imbecilliorem habuerint expulsiuam. vndè propter putredinem minus fit naturæ familiare. quod autem ita sit, illud quoque argumẽto est, quod optimã sortiti corporis cõstitutionem, nullam faciunt in vrina hypostasim. nam si in sanorum vrinis quãdoque appareat; corpora illa simpliciter salubria non sunt: nominantur tamen talia, quia sensibiliter actionem læsam non habent. ægri verò cùm ex putredine febricitent, quæ spiritus animæ instrumentum alterat & resoluit: actiones habent sensibiliter læsas. & quia virtus concoquens ad separandum, & expellendum est impotens, aggregantur excrementa, & putredinem nanciscuntur. at in sanis, quorũ corpora re vera salubria nõ sunt, & si cõcoctrix sit debilis: excretiua tamen muniuntur ualida, qua superfluũ expellũt. ex quo ansam nullã habẽt putredinis. unde colligitur eãdẽ esse materiã. Sed dubitauerit aliquis, si putredo fit, quia uirtus imbecillis reddita nequiuit excrementa excernere, quæ postea putredine affecta sunt: quomodo ęgri facti, cùm vim habeant imbecilliorem, expellent? Dicimus ęgros semper tenuiter cibari: tum quia cibum non appetunt, tum quia illud medici iu-

bent, ne natura propter cibũ à putrido diuertatur excremento. at natura, quę in solidis residet partibus, egens nutrimento, agit in id, quod inuenit, quo alimentum suscipiat, & assimilet ad suã naturam. inueniens verò putridum succum, in eum agens, illumque ob sui ineptitudinem & acrimoniam inueniens suo fini ineptũ vt puta nutritioni, dat illi, sicut puri, coloris similitudinem; quem postea ab alio non distracta repellit, tanquam fini ineptum. quòd si ob repugnantiam nullam assequitur assimilationem sed sua acrimonia naturæ uires superat: manet semper vrina sedimenti expers. ex quo mors, quia prauiorem acquirit putredinem. itaque natura non impedita à cibo, facilè succũ deuincit, & expellit: quod prius, cùm non concoxisset, non poterat, modò à putredinis multitudine non superetur: licet imbecillior fuerit: eoque magis, cùm à putredine irritetur. Sed inquies, Galenus. 1. de differ. feb. 7. & 8. de presagatio. ex puls. 8. circa finem dicit, hypostasim ęgrorum partem esse hummorum intra vasa putrescentiũ. hoc idem confirmat Auicennas. 2. fen. 1. doct. 3. at sedimentum sanorum est pars alimenti, quę in hepate sanguificationem refugit. succi autem putrescentes & alimenta diuersa sunt, & inter se valde distant. quonam igitur modo materia cõmunicabunt? Huic dubitationi respondemus, verum esse, sedimentum ægrorum portionem esse putredinis: & sanorum, alimenti, quæ in hepate sanguificationem refugit. attamen humor ille putridus; cuius hypostasis est pars, ecquid aliud est, quàm excrementum quoddam alimenti, quod sanguinis fu-

git

git versionem? id nō expulsum putredinem acquisiuit: ex qua febris. expellitur deinceps à natura superatum & victū, residetque in vrina. vt. 1. de crisibus. 12. his verbis: Hæc quoque causa est, vt hi, qui ex otio & repletione febricitant, si sanitati restitui uolunt: plurimū subsideat, oportet. &. 2. de differ. feb. vt suprà probatū fuit. Eadem ergo materia: differentia verò versatur penes putridū & imputridū: quæ putredo illud minus naturę familiare reddit. sicut enim eadem est materia sudoris, & vrinę quæ discrepant tantum loco, & materiæ tenuitate: ita eadem materia vtriusque sedimenti, quæ tantùm putredine variant: cùm sanorum putredine careat: ęgrorum illius minime sit expers. Quod verò sit idem illis efficiens, vt puta natura in solidis partibus residens, docet sexcentis in locis Galenus, ut. 3. Metho. cap. 3. in prin. &. 1. Apho. 15. his verbis: Neque aliud quidquam animal ab initio efformauit, neque rursus adauxit, aut usque ad mortē enutriuit, quā iste calor innatus, de quo nunc habetur sermo. hic est omniū operum naturalium causa. quia verò plurimus hyberno tēpore, idcirco vbi appetentiā intēdit, coctionē auget, & plus sanguinis cumulat, & crassius efficit corpus, & vt superfluitates excernātur, prouidētiā habet. & infrà. Neq; (ait) aliud quidquā est natura animaliū prǽter hoc calidū innatū secūdū Hippocratis opinionē. ostensum est autem in commentarijs de uiribus naturalibus, non solùm appetens atque conficiens, glutinansq; singulis partibus proprium natura alimentum: sed & huius dissoluens superfluitates: & quanto fortius exti-

terit calidum innatum, tanto magis difflatio effugit sensum. Ecce clarè dicit omnia à calido fieri innato, qui iuxta suam & Hippocratis doctrinam, est ipsa facultas naturalis: nec ope indigere aliena, ut puta causa præter naturam, vt apertè hallucinati sunt neoterici. Et.4. Aph.22. Natura primò concoquit: secundò separat: tertiò expellit. & hic in morbosis loquitur affectibus. hoc idem. 1. Epid. Com. 2. & 2. de differ. feb. locis citatis, 2. Apho. 7. 4. de ratione victus. 44. alijsque in locis, quæ non adduco, ne in re clarissima sim prolixior. Sed dices, si non concurreret causa præter naturam, cõuerteretur in substantiam aliti. Respondemus, quòd, licet causa præter naturam, quæ est in materia hypostasis, impediat assimilationem in substantiam partium: non tamen concurrit vt efficiens, & dans formam materiæ: quia sola facultas est operatrix, & efficiens illius, cuius materia, propter causam præter naturam, inepta erat assimilationi partium solidarum. hæc repugnantia, & causa præter naturam, etiam in materia hypostasis sanorum concurrit: quia si non concurreret, conuerteretur in sanguinem. itaque non minus ponenda in ægrorum, ac in sedimentis sanorum materia. & licet in ægrorum hypostasis materia, repugnantia sit maior, cùm putrida sit, & præter naturam magis facta: tamen in sanorum materia reperitur, cùm sanguinẽ refugit. vt hinc pateat error asserentiũ, in sedimentis ægrorum concurrere causam præter naturam, vt efficiens. quod illi ipsi animaduertentes, ac palinodiã canentes: quandoque manifestissimis verbis, tanquã à

veritate coacti, confessi sunt. Concludamus ergo, causam præter naturam circa hypostasim ægrorum, sicut sanorum, vt efficiens non concurrere. etsi concurrit, eadem erit in sanorum hypostasi, differens tantùm secundum magis & minus: nec tamen erit, ut efficiens: cùm tantum natura in solidis partibus residens, talem mereatur nomenclaturam. ipsa enim principium est, vndè motus, & concoctio: causa verò pręter naturam coctionem impedit. Quod eadem forma sit, cunctis patet: neque ab eis negatur. ambo etenim solidarum partium colore donantur, nempe albedine (quælibet namque nostri corporis pars alba est: coloratur postea à sanguine) quandoquidem, cùm in aliti substantiam verti nequiuerit, accepit, quam potuit similitudinem. vt. 1. Prognost. vlt. & 1. de differ. feb. sed forma est causa essendi & constituendi rem in propria specie. ergo quæ habent eādem formam, eiusdem fore speciei necesse est, eandemque habere materiam: cùm quęlibet forma certam sibi describat materiam, vt. 1. de gener. & corrup. Aristoteles, aliisque in locis sexcentis. Quod idem naturę finis, nullus etiam mediocriter in Galeni doctrina versatus, inficias ibit. Galeni pręceptum est, quamlibet nostri corporis partem sibi ipsi concoquere, vt ad propriam deducat substantiam & naturam, appropinquantem humorem: & nullam aliarum partium habere prouidentiam. imo, postquam nutrimentum assumpsit, reliquum, veluti excrementum, expellit: hoc est, quod dicit primo de semine vlt. Demōstratum enim est, vnumquodque ad se accomodatum sibi alimentum attrahere.

trahere. deinde vbi ex eo, quidquid sibi necessariũ est, percepit: reliquum excernere. quod cùm ipsi excrementum sit, alteri subsequenti alimentum conficitur. Et. 5. Apho. 39. Hoc quidem commune est omnibus animalis partibus: quę aptę sunt humores aliquos utiles generare, aut partibus alijs, aut ad generis propagationem, aut ad conceptus nutritionem, esse humorem illum quandam ueluti superfluitatem alimenti partis ipsum generantis. non enim quia norit, ad quid utilis erit humor animali: ipsius facit pars generationem. nisi debeat habere talẽ intellectum, qualem habere oportere arbitramur ciuitatum gubernatores. Sed animalis quidem opifex illum habet intellectum. ipsa autem pars, ut ostensum est, potentijs regitur naturalibus, tum alijs quibusdam, tum alteratiua, per quam assimilat alimentum sibi ipsi: quantum igitur alimenti ab ipsa alterati fuerit nutrito corpori exquisitè assimilatum, illi apponitur parti, ac nutrit eã. Et hoc est, quod ipse ait, alimentum autem quod alit, alimentum etiam quod ueluti alimentum, & quod debet alere. superfluum uerò derelictũ similis quidem naturę partis existit: in ossibus quidem id, quod in eis cauernis continetur, in hepate sanguis. ex hoc genere est, & spumeus humor, qui in carne pulmonis continetur, & qui in articulorum compagibus glutinosus humor, & quod in testibus & uocatis assidentibus semen, & qui in lingua: cui nomen saliua. & 1. Prognost. ult. & 2. Apho. 18. 6. de Placitis Hippocratis & Platonis. 4. de usu par. 3. natur. facul. 13. prope finem. 4. sanit. tuendæ. 8. per loca

loca de affectibus iecoris. cuius uerba in medium non affero, ne uidear rem sole clariorem explicare, ac in dubium uertere, quod etiam plebeis innotescit: ita in materia fit sedimentorum. siquidem natura, quæ in solidis animalis partibus residet, agit in ea sibi tantùm inseruiens, ut in substantiam solidarum partium reducat. quod cum fieri non possit, & fine frustretur; illam ad sui colorem & similitudinem ducit. postea, tanquam inutile suo fini, ut puta assimilationi, crassam eius partem expellit per urinam, cùm per commodiorem regionem expellere non ualeat: tenuem uerò per arteriarum & uenarum compressionem. Quòd idem sit generationis modus, patet ex supra latè adductis, cũ de materia loquebamur. Quod idem sit locus; docet Galenus. 2. de differ. feb. 7. his verbis: In humoribus autem, qui in venis & arterijs continentur, quiddam, quod puri proportione respondet, subsidet in vrinis. &. 1. Prognost. ult. 1. sanit. tuendæ, & per superiorem discursum. Illud quoque declarat vtrunque sedimentum eiusdem esse speciei: quod idem significent: ambo nanque tam sanorum, quàm ægrorum sedimenta naturæ dominium, uictoriãq; supra repugnantem materiam ostendunt. id quod pulchrè, & clarissimè, demostrat Galenus. 1. Epid. Com. 1. tex. 43. dum hæc protulit verba: Iam, sicut in corporibus sanis coctionem indicant excrementa: non secus in corporibus affectis indicabunt. Quomodo igitur diuersæ erunt speciei: cũ non materia, non efficiente, non forma, non loco, nec modo generationis, nec significatione differant? Nunc dubitatio

bitatio quædã tollenda est. Diximus sedimentum generari in uenis: At opposuerit aliquis in hepate generari. nam, cùm in hepate fugiat coctionẽ, hepatis excremẽtum uidetur: Itaque sciẽdum est, vnumquodque ex materia & forma componi: formamque dare esse, & denominationem vnicuique, cùm ipsa sit actus & ratio essendi, & cognoscẽdi. vnde. Themistius in paraphrasi 2. de anima in 1. A materia (inquit) res habent, vt fierent: à forma verò, vt essent. Id autem accepit ab Aristotele in tex. & .7. Meth. 37. Ita dicimus ad dubitationem: materiam hypostasis generari in hepate, cùm ibi fugiat sanguinis mutationem. accepit tamen formam hypostasis in venis & arterijs. Vbi ergo accepit formã, ibi generatur; cùm generatio sit acquisitio formæ: sed in vasis accepit formam: ergo in vasis generatur. forma etenim causa est essendi, & qua res est hoc aliquid, vt diximus. at illam in venis recepit. Iterum restiterit aliquis, si (vt superiori quæsito dictũ est) omnes humores quandoque in venis sunt cum sanguine, qui, cùm præter naturam sint, putrescunt, & febrem procreant: euicti postea à natura expelluntur, partim per vrinam, & in ipsa faciunt sedimentum: nonne hoc sedimentum erit pars illorum humorum? Huic dubitationi facilè ex suprà dictis respondetur. sed, vt clarior fiat sermo noster, dicimus verùm esse, quandoque cùm sanguine omnes misceri humores alios, attamen sanguis ille totus ferè excrementosus est, minimeque nutrit: cùm naturæ repugnet. fit enim vel naturæ defectu, ut puta intemperie; vel vitio materiæ: vt alibi probatum fuit: ex

quo

quo sanguis ille totus est ferè excrementosus & saniosus, vt. 10. simp. Galenus. qui cùm naturæ repugnet, nactus fuit putredinem: cuius partem postea natura, per vrinam expellit, & fit sedimentum. Itaque sedimentum illud pars est alimenti, quod sanguificationem refugit, propter aliquam præter naturæ causam: cùm nullo pacto perfectam habeat sanguinis formam: sed totus dicitur excrementosus. cùm enim optimè se habet corpus, nullumque sit in facultatibus, vel alimento uitium, perfecta fit sanguificatio, segregatioque humorum, sanguisque purus, cùm naturali pituita per venas meat; nullamque habet actu aliorum humorum mistionem. Sed rursus obiecerit: si sanguis ille esset excrementosus, corpus minimè nutriretur: cùm excrementa non nutriant. Dico naturam, hunc excrementosum sanguinem in hepate genitum, iterum concoquere, vt partibus assimilaret: verùm, quia ineptus est, parte tātùm tenuissima, & parcissimè nutrire. hanc igitur ob causam eos, qui tali succo referti sunt, semper decoloratos videmus: & antequam succi putrescant, vrinam crassam aspicimus: quæ quandoque magnum facit sedimen, iuxta expultricis naturæ victoriam. Ille quoque scrupulus atque dubitatio aliquem stimulauerit; si sedimentum in ægris est pars humoris facientis febrem: cuius nam humoris pars erit? sub forma ne causæ coniunctæ, an antecedentis? Pro responsione est notandum, Arabes non rectè percipere causam coniunctam. nam asserunt causam coniunctam esse, qua posita, ponitur morbus: & qua remota, remouetur. quæ definitio con

tentiuę

tentiuæ causæ competit, non autem coniunctæ. differt enim non pauco discrimine coniuncta causa, à contentiua. quandoquidem causa contentiua ponitur semper in definitione morbi: at coniuncta non semper ponitur. Coniuncta enim est, quæ immediatè morbum præcedit, ut sunt in febre putrida, vapores putridi: non humores putrescentes, vt ipsi dicunt: itaque nulla est differentia, nullumque discrimen inter immediatam causam, & coniunctam: ut de sympt. differ. Galenus. hanc ipse 11. Method. uocauit antecedentem. Causa uerò contẽtiua est, quæ ingreditur definitionem morbi: & qua posita, ponitur morbus: & qua remota, remouetur. exempli gratia, in febre causa contentiua est calor præter naturam, & suffusionis obstructio in oculo. siquidem nec amoueri, neque poni febris potest, ni calor præter naturam remoueatur, uel apponatur. ita de suffusione: posita obstructione, & remota, ponitur & remouetur suffusio. ut bene. 1. de sympt. causis. Ignoratur tamen causa hæc, quia morbi, ut plurimum, nominantur nomine causæ contentiuæ: ut causa contentiua propriè sit, quę illorum essentiam cõtinet, quę est causa formalis. 1. de causis pulſ. His ita cõstitutis, ut scrupulum euellamus, dicimus: sedimentum, esse partem humoris actu putridi: & non potentia. ut eorum humorum putridorum, quos ipsi ineptè causam coniunctam dicunt: nos uerò iuxta Galeni normam, antecedentem appellamus. non autem partem causę coniunctæ, quam Galenus immediatam uocat: cùm hæc uapores putridi sint. Nec piaculum erit, aut exitiale facinus, in omnibus febribus causam

sam ponere contentiuam: sicut in putridis coniunctam: quandoquidem istę omnes sunt in fieri. Sed denuò insti terit aliquis, si sedimentum est pars humoris actu putridi: cùm hypostasis generetur in uasis, verum illud erit in febribus continuis, quarum humores putrefiunt intra uenas: falsum autem in intermittentibus, quarum humores putrescunt extra venas. Hæc difficultas tanta fuit, vt omnes hucusque in errorem duxerit. dicunt enim harum febrium sedimentum partem esse causę, quam nominant antecedentem, idest humoris potentia, non actu putridi: cùm isti intra venas sint. Quę opinio (iudicio meo) est omnino ac penitus erronea, & à Galeni mente valde aliena. nam Galenus ubique fatetur sedimentum esse partem humoris putridi: at causa, quā ipsi antecedentem vocant, nondum putrida est: sed apta putrefieri. qui igitur fieri potest, ut huius pars sit? Pręterea sedimenta coctionem indicant humorum morbum facientium, ac naturę actionem & uictoriam: ut 1. Epid. Comm. 2. at humores actu putridi morbum faciunt: non qui imputridi sunt, cùm isti facturi morbum sint, ergo humorum actu putridorum pars erit. nam cū isti euacuationem poscant: illi uerò apti sint putrefieri: potius coctionem, & ad benignum reductionem, uentilationemque, quàm euacuationem requirunt. ut. 11. Meth. Gale. Adde, quòd hac ipsorum opinione, Galenum diminutum faciunt. quandoquidem. 1. de differ. feb. dicit sedimentum esse partem humoris putridi in febribus, non dum tamen diuiserat febres in continuas, & intermittentes, quod fieri debebat: si uera esset eorum

opinio

opinio: ne rem indeterminatam relinqueret. Nos igitur aliter sentimus, nec tamen à Galeno latum unguẽ discedimus. dicimus enim hypostasim tam continuarũ, quam intermittentium febrium, partem esse humoris actu putridi. At in continuis, cùm nullus in hoc dubitet, nulla egemus probatione: in interpolatis autem illo argumento ostenditur, quod cùm & in his intra uasa putrescant humores, illorum pars erit. Quod intra uasa putrescãt, probatur & Galeni auctoritate, & rationibus. Ac primùm Galenus. 2. decrisibus. 3. declarãs conuenientiam & differentiã tertianarum febriũ intermittentium, à continuis, dicit has febres in humore conuenire: discrepare uerò, quia in continuis, humor putridus continetur intra uasa: in intermittentibus expellitur extra uenas. cuius hæc sunt uerba: In alijs uerò adurentibus febribus, quæ nullam habent intermissionem, flauæ bilis humorẽ in uasis, unà cum sanguine contineri ostendebamus. atque hæ ipsæ à tertionis differũt (quamuis eo, qui utrumque facit morbũ, humore communicent) quòd in his quidem intra uenas continetur: in illis uerò cùm uehementer moueatur, per singulas corporis partes disseminatur: quo fit, ut delationis impetu ipsa per se ipsam expurgetur. eadem causa cur febris ex sudoribus atque uomitibus finiatur. in adurentibus autem febribus singulæ accessiones ad infebricitationem non perueniunt: quoniam, qui earum causa est humor, non expurgatur. sed quando in his bilis uehemẽtius agitatur, ac ueluti efferuescit, cùmque natura inualescente impellitur: tunc rigor superuenit, & febris

soluitur,

soluitur, nã à febre ardente habito (inquit Hipp.) rigore supueniente, solutio. hæc sunt Gal. verba, quibus sentẽtia nostra clarè cõfirmatur. dicit .n. humorẽ putridũ in continuis contineri intra uasa: in intermittẽtibus uerò nõ cõtineri, sed ob motus uehementiam disseminari per corporis partes. dicit cõtineri, ostẽdens humores putrescere intra venas, ibiq; retineri in cõtinuis. in intermittẽtibus uerò putrefieri, sed nõ cõtineri: quia ꝑpter uehementem humoris motum natura transmittit ad partes corporis ex carnoso genere. Hoc idem refert. 2. de symp. causis cap. 5. exponens eundem. Aphor. 4 par. 58. vbi causam reddidit, quare sequitur rigore superueniente in febribus ardentibus solutio ipsius. Hoc clarius manifestat 9. Metho. 5. in primis verbis. Si materia (inquit) in omnibus vasis magnis putrescit, continua excitatur febris; si verò in unica parte, intermittens.

Quo pacto igitur isti asserent in intermittentibus humorem extra venas putrefieri, & in carnoso genere: cùm Galenus tam apertè dicat intra uenas: neque in uasis magnis, sed unica parte putrefieri. Et. 4. Aphor. 59. declarans differentiam inter easdem febres, scilicet ardentem & tertianam exquisitam, dicit eas differre: quia humore minimè discrepant. sed febris ardens humores habet putrescentes in uenis unà cum sanguine, ut bilim plurimam ebullientem: tertiana verò intermittens eandem bilim habet in toto corpore latam, ac motam. non dicit extra uasa putrescentem: sed latam ac motam in toto corpore. nam, etsi natura bilim expellit tempore insultus, propter materiæ paucitatem,

corporis raritatem, eiusque robur ad partes carnosas: non tamen negat in venis putrefieri. sed differt, quia in causonide firma manet ac stabilis intra uasa, licet in eis moueatur quandoque, & materiam faciat turgentem: in tertiana exquisita quotidie illam propter prædictas rationes mouet, & expellit, ex quo rigor succedit. Hactenus Galeni auctoritate probauimus intra uasa putrescere: nunc reliquum est, ut id ratione confirmemus. Ac primùm sæpe uidimus febres intermittentes, uomitu, uel alui deiectione terminari, humore petente uentriculum. qui humor si in carnoso genere, quomodo per venas uentriculum peteret? cur sudore & halitu non terminaretur: cùm citius, facilius, & commodius fieri potuerit? Præterea, cur Galenus præcipit inspicere vrinam in his febribus, si humores extra uasa putrescerent, in carnoso genere; cùm urina tantum eorum quæ in uenoso genere: sicut carnosi sudor sit index. vt. 4. sanit. tuendæ. 1. de crisibus. 7. & 1. Epid. Com 1. Deinde febris est passio venosi generis, & per uenosum genus arterias comprehendit: ut. 1. de crisibus. 7. in fine. Si igitur humores febrem facientes extra uasa putrescunt, & in carnoso genere; quomodo passio erit venosi generis? Præterea patet ex modo curandi. quorsum enim adhiberentur res aperientes internas obstructiones in his febribus? Accedit ratio symptomatum: quandoquidem in tertiana adsunt uehementissimi dolores capitis, ob plurimos caput petentes uapores per arterias, & uenas. at si in carnoso genere putrescerent, quomodo ascenderent uapores illi, alioquin

acres,& mordaces? non per neruos, quia uapores illi conuulsionem facerent,& in omnibus neruis dolorem, ut 5. Apho. 2. bene præcipit Hippocrates, & Galenus. ergo per arterias & uenas. ex quo consequens est, ut in eis putrescant. Concludamus igitur tot Galeni au-ctoritatibus & rationibus, in omnibus his febribus humores intra uasa putrescere. nullibi Galenus (quod ui-derim) extra uenas dicit putrefieri: & sicubi forte scri-ptum reperiretur (quod non credo) sanè intelligendum est (ut ipse met se ipsum exposuit. 9. Meth. 5.) extra uasa magna, quæ sunt inter alas & inguina. & 11. Metho. 4. & 9. Meth. 3. Sed statim insurgat aliquis, cui molestiam exhibeat, ac negotium faciat, locus Galeni, ubi manifestissimis uerbis asserere uidetur, in his febribus humores putrescere in carnoso genere. lege 1. Epid. Com. 2. vbi ponens discrimen tertianæ exquisitæ & ardentis febris, inquit: In commentarijs de differentijs febrium & de iudicijs, tum alia, tum hoc declarauimus, propter flauæ bilis exuperantiam febres & ardentes & tertianas oriri: at hoc conuenire inter illas: locis verò in quibus superfluus contrahitur humor, distare. Etenim si ardentes febres sint, in uenis abundat præcipue iecinoris & uentris. tertianæ fiunt, cùm totius corporis carnes affluunt bile flaua. Dicit totius corporis carnes, non uenas. ergo in carnoso genere putrescit, nō in uenis. Ad hunc Galeni locum facilè, nulloque negotio respondetur, non discedendo tamen à nostro proposito. dicimus enim carnes affluere bili flaua, tempore insultus, nam cùm bilis uehementer mouetur, ac effer-

uescit: tunc (pauca ea existente) à natura transmittitur, & per singulas corporis partes disseminatur, & rigor superuenit: in febre uerò ardente minimè transmittitur, sed retinetur. Quòd autem ita intelligendus sit, uide secundum de crisibus citari: quo in loco hæc à me relata responsio, habetur, vt quisque uidere poterit. Sed dixerit aliquis, adhuc obstare Galeni uerba subsequentia. Proinde (prosequitur Galenus) spiraculis impeditis eorum, qui natura biliosa sunt, quantum bilis in carnoso cōgestum genere ante expurgatur: in hoc statu non purgatum tertianas generauit ardentibus frequentiores. inquit, In carnoso genere congestum, & non expurgatum spiraculis obstructis, putrescit & febres facit tertianas. Ad hoc dicimus plerosque Galeni locos nō simpliciter intelligēdos, sed ex aliorum collatione, omnesque quos edidit libros legendos esse, quò rectius ac perfectius sua percipiatur opinio: ut in fine de differ. morborum &. 1. de alimentorum facul: literis mādauit. 9. Meth. Galenus inquit continuas febres oriri, cùm humores in omnibus uasis magnis putrescunt: cum uerò in vnica parte, & paruis uenis, intermittentes gigni. hinc dicimus per congestum in carnoso genere, intelligi à Galeno uenas, quæ sunt in carnoso genere. nam respectu magnarum (quæ inter alas & inguina existunt) paruæ & sunt & dicuntur. quod innuēs dixit, si ardentes febres sunt, in uenis abundare, præcipuè iecinoris, & uentris: quę uenę magnę sunt. at tertianę fiunt, quando non in his uenis humor putrescit: sed in uenis, quę sunt in carnoso genere, quę paruę uenę

sunt

sunt, ut. 10. Meth. 6. in fine innuit. obstructis enim spiraculis, impeditaque harum difflatione, facilè humores putrescunt. siquidem obstructio, & prohibita transpiratio putredinem gignunt. Ex quo, sine dubitatione aliqua, dicimus in omni febre, quam putrescens humor generat, humores intra uasa putrescere. verùm in continuis, intra uasa magna: in interpolatis, intra uasa non magna. qui postea deferuntur suo motu per carnosum genus. atque ea est (iudicio meo) Galeni sententia. At si quis quæsierit, cur, si omnes ex humore ortum habent intra uasa putrescente: aliquæ desinunt ad infebricitationem, aliquæ verò non? facilè responderi potest per ipsum Galenum. 9. Meth. 5. quia aliquæ putrescunt intra uasa magna, quæ ualde uicina sunt cordi, nec potest materia tam cito euaporari, quin altera putrescat. aliquæ uerò in unica parte, & intra uasa non magna. Sed quia hæc responsio ultimam causam non reddit: ideo eam dabimus, quam Galenus. 2. de differentijs feb. assignat. is enim accessionis lōgioris ac breuioris causam inquirens, rem ad tria capita reduxit: ad materiæ paucitatem, subtilitatem, caliditatem; potentiæ expultricis robur; & corporis raritatem. Materia enim calida, subtilis, breuiorem facit accessionem, & finiet, antequam secunda incipiat. Corpus etiam rarum breuiores sua ratione reddit accessiones: quod autem spissius, longiores. Potentiæ autem robur minus diuturnas: at imbecillitas in longius tempus producit. nam, quò potentia uegetior extiterit: eò promptius & facilius rem alienam à se expellit. corporis autem ra-

ritas, quod per ipsum defertur, non retinet. itaque ante quam secunda superueniat accessio, prima quieuit. hæc est ergo causa, cur aliquæ intermittunt, aliquæ uerò non: sed continuò ægrum affligunt. Rursus si quis institerit, si humores putridi, in intermittentibus febribus deferuntur suo motu expulsi à natura per omnes corporis partes (ut. 2. de differ. feb. Galenus) qui postea sudore terminantur & halitu (ut Hippocrates 4. Aphor. 63.) quomodo hypostasis pars erit humoris putridi? cùm hoc uideatur impossibile, ac præter intentionem, quam Galeno tribuimus. Huic quæstioni suprà latè respondimus in definitione hypostasis, ubi diximus humorum putridorum partem crassam fore hypostasim: quæ transpirari nequiuerit. quam, natura cùm cõmodiorem uiam expulsionis non habuerit, per vrinam expulit; tenuiorem uerò partem per sudorem deiecit, & halitum, ac arteriarum compressione. At dubitauerit aliquis, num totum sedimentum ægrorum pars sit humoris putridi: ita ut nulla sit in eo portio sedimenti sanorum, idest alimenti, quod sanguinis subterfugit coctionem? Dicimus nulli dubium utraque sedimenta, tam alimenti, quod fugit conuersionem in sanguinem; quàm humorum putridorum (& per humorem intelligimus hic, quod temporibus præteritis sanguificationem refugit, ac postea putredinem acquisiuit) inter se misceri uniriq́ue: verùm adeò pauca est portio sedimenti alimenti, quod subterfugit coctionem, vt etiam si perceptibilis esset (quod fieri non potest, iudicio meo, propter maximam in omnibus causis conuenientiam

nientiam) non cognosceretur. atque hoc nõ immeritò. nam natura egens nutrimento, cùm paucum existat, totum ferè conuertit in aliti substantiam, minimumque superat semicocti: eoq; magis, cùm cibaria optimi sint chyli: naturęque humanæ ualde familiaria. sed, quia pluribus fortasse moratus sum in refutanda horum hominum opinione, quæ (ut ego quidem sentio) à Galeni doctrina, proposito, & sententia aliena est, iam huic disputationi finem faciamus. Concludimus igitur in qualibet febri, tam intermittente, quàm continua; hypostasim esse partem humoris intra uasa putrescentis, quæ (vt latè suprà probauimus) non materia differt à sanorum hypostasi, nec efficiente, nec forma, uec fine, nec loco aut modo generationis, nec significatione: sed tantummodo maiore & minore naturæ familiaritate, & putredine. Raro verò diuersæ erunt speciei: nempe, cùm sanguis purus & syncerus ptopter causam aliquã procatarticam, vt mœrores, itinera, insolationes, & reliqua, putrescit, vt pars tenuis uertatur in bilim; crassa in humorem melancholicũ, ac deinceps, qui geniti sunt, etiam putrescant, & sedimentum faciant. at, quia hoc raro accidit, manifestum est sententiam nostram veram esse: contrà verò eos falli & errare, qui Galeno, & veritati ipsi repugnantes, asserunt, & continuò & in omnibus febribus, aliam esse in sanis, & ægris sedimenti materiam: quod à nobis iam improbatum est.

FERDINANDI CASSANI VIGIANVLENSIS,

Apologia.

Aduerſus ea, quæ ad Quæſtionem de ſedimento à Ioanne Andrea Nola Crotoniata ſcripta ſunt.



Apud Nicolaum Tridentinum.

M D LXIIII.

FERDINANDI CASSANI VIGIANVLENSIS,

Apologia,

Ad Ioannem Andream Nolam Crotoniatam.



VM ad ægrum curandum paralysi laborantem, Consentiam rogatus me contulissem; obuiam se mihi obtulit familiarissimus meus, qui nuntiauit nuper in manus suas peruenisse opusculum Crotoniatę cuiusdam, aduersus me editum. Efflagitaui, vt libellum ostenderet. Equidem cùm in manus sumpsissem, lętitiam, & uoluptatem initiò percepi ex tuo nomine, in quo libellus apparuit. nam, cùm meus condiscipulus fueris, & amicus; agere te uelle mecum putaui, ut Philosophos, & amicos decet; qui summa & libertate, & modestia, sua confirmant, aduersaria euertunt, omniq́ue conatu verum inquirunt. Repente uerò, ubi unam atque alteram pagellam euolui, maxima molestia affectus sum. nihil enim tibi propositum esse animaduerti, erudito, aut bono uiro dignum: sed me probris omnibus maledictisq́ue uexarc. quod indignè à te factum est, cùm nul

la

la unquam à me lacessitus fueris iniuria, neque contu-melia. Etenim pręceptoris tui sententiam & opinionem refutaui: sed eam moderationem adhibui, ut nihil ei nominatim apposuerim, neque cui quam maledixerim. Tu uerò, quod indignissimum est, maledico etiam dente corporis doctores meos, Ioannem Antoniũ Pisanum, & Paulum Monachum: qui, cùm omne suũ studium in doctrina atque sapientia collocauerint, iure optimo consequuti sunt, ut primę Neapoli ipsis deferã tur. Fuit sane Pisani opinio, quod idem sit sedimentum specie in sanis, & ęgris, multis antè annis, quàm Altimarus libellum de hypostasi ederet. Hanc autem sen tentiam cùm publicè professus esset, eam libello typis ęneis impresso diuulgaui. Quid igitur est, quod tantopere indigneris? numquid nobis pręcides libertatẽ in utranque partem disceptandi de rebus ad Medicinam Philosophiamque pertinentibus? Semper licuit omnibus literarum professoribus non solùm contra recentiores Medicos, & Philosophos; sed etiam Galenum, & Platonem, aliosque illustres scriptores dicere, siquando ratio dictauerit. Quis autem potuisset honorificen tius rem eam tractare, quàm in sua illa epistola Paulus Monachus fecit? Tu uerò, cùm ueritus esses, ne omnia pariter pręceptoris tui scripta (quod illi sanè facillimum) euerteret; contumeliosas in eum uoces emisisti: atque maledictis doctos uiros figere uoluisti: ut quod olim omnibus concessum est, in posterum licentiam indagandę ueritatis adimeres. Quanquam obscurum non est hęc tua non esse, sed pręceptoris tui; quod & quidam

dam eius discipulus ad me detulit, & pluribus coniecturis perspicitur: cùm ex phrasi ac dicendi modo: tũ ex maledictione, quę sibi proposita est, ut ex alio eius libello in Ioannem Antonium Vezauotram uirum doctissimum edito, apparet. sed, quicunque is fuerit, ei profiteor me respondere, vt meum libellum defendam, calumniam coërceam, & à malitiosis tuis interpretationibus uindicem. Quamobrem, veri inquirendi gratiâ, firmissimis rationibus, & auctoritatibus grauissimis contendam: non seruiliter, aut muliebriter, non conuicijs, aut contumelijs tecum agam. Nam in his, quas Hippocrates recenset conditionibus Medico necessarijs, ea pręcipua est, ut bonis sit moribus, nempe quęstus contemptor, modestus, de omnibus bene sentiens, placidus, syncerus, prudens, religionis & pietatis cultor, ac pene dixerim, diuinus: quippe qui Deum semper in animum habeat, unum illum contempletur, nihil sibi in sanandis morbis tribuat, omnia illi accepta referat.

Primò coarguis me, quod dixerim vrinã in hepatis generari conuexo, vbi sanguis perficitur: negasq́ue urinã in iecore generari, sed in venis, vel renibus: cùm parum in hoc tibi constes. Deinde contendis sanguinem nec generari, nec perfici in iecoris gibbo: sed in eius potius concauo. Pro mea opinione & veritate ipsa tuẽda, apertum est omnibus, Galenum triplicem tantùm ponere coctionem. quarum prima in uentriculo fit: secũda in iecore: tertia in singulis, q̃ nutriuntur, particulis:

lis: cuius gratia duę priores fiunt. vt de cibis boni & mali succi cap. 3. Omnes etiam norunt secundam coctionem, quæ in iecore fit, vnam esse cum ea, quam Galenus quãdoque in venis fieri asseruit, vt loco suprà citato. Nihil. n. (ait) in cibarijs omnibus ad boni succi generationem tam pertinet, quàm si probè in ventriculo cõcoquantur. namque hæc & alteram, & tertiam coctionẽ facilius admittũt. Sed secũda cõcoctio, vt planè nosti, in iecore fit & venis. tertia in singulis quæ nutriuntur partibus perficitur, cuius quidem gratia duæ illę priores expetuntur. Apertum est etiam, Galenum secundam coctionem quandoque fieri in venis asseruisse, nulla iecoris facta mentione. vt. 3. de sympto. causis. 2. ante medium. Naturalium (inquit) actionum prima, ac propemodum omnium maximè necessaria est nutritio, quæ alteratricis actionis quædam est species: est etiam & concoctio, quæ in ventre agitur alteratio, nõ secus autem, quæ in venis: quibus accidit ea, quæ in quaque est particula. Ex quibus verbis patet, coctionem secundam, quam sæpe in iecore celebrari dixit, nũc in venis poni, nulla iecoris mentione facta. ergo per venas, iecoris venas intelligit. quod autem ita sit, audi clarius. primo tamen sumimus id, quod. 4. de usu partium, & alibi literis mandauit: vtramque bilim iecoris fore excrementa, non autẽ aliarum partiũ. Sicut mustũ in dolia infusum ab innata caliditate elaboratur, secernitur, concoquitur, ac feruet: ipsiusque excrementum alterum, quod est graue, & terreum, in fundo vasorum subsidet: quam fecem vocant. alterum verò leue

super

supernatat; flosque vocatur. iuxta exempli similitudinem intellige mihi distributum à ventriculo ad hepar χυλὸν à visceris caliditate, velut mustum feruere, concoqui, alterari in sanguinis boni generationem. in qua ebullitione ex ipsis excrementis, quod est fæculentum & crassum subsidere: innatare verò, quod tenue est, ac leue. hoc vesica fellea, quæ in iecore est, recipit: illud verò lien. Cùm ergo hæc iecoris excrementa sint, non partium aliarum, vt cuique clarum est, siquando hæc ipsa excrementa, venarum excrementa appellat, nulla facta mentione iecoris; manifestum est, quod per venas, simul hepar intelligit. His ita constitutis, quæ omnino concedenda sunt, cùm vero veriora sint: quis negabit vrinam sanguinis fore excrementũ, ac in iecore generari? lege Galenum. 3. de sympto. causis. 2. post principium. Cum autẽ (inquit) triplex sit in venarum coctione excrementum, vnum amara bilis, alterum nigra, tertium serosum. biliosum quidem uesica, quę iecori subest, expurgat: melancholicum, lien: serosum, renes. ergo serosum excrementum, siue vrina (dicas, vt lubet, cùm tantùm nomine differant, vt infrà latius) hepati, vt sanguinis generationis loci, est excrementum, eoque in loco generationem habet? Declarãt hoc etiam Galeni verba. 4. de vsu partium. 5. nam, postquam sanguis fuit defecatus à bili flaua & atra: purus sursum ascendit ad hepatis gibbas: excipit autem illic una vena maxima ex gibbis hepatis enata: in qua multo adhuc humore tenui, & aquoso plenus est sanguis. vocat autem ipsum Hippocrates uehiculum nutrimenti.

qui

qui tenuis humor postquam functus fuerit officio suo: non oportet amplius manere in corpore onus alienis ve nis futurum, sed renes trahunt & ad uesicam transmit tũt, licet portio aliqua remaneat. Si, ut inquit Galenus, multo adhuc humore tenui & aquoso plenus est sanguis is est cum sanguine: si autem est cum sanguine, cũ sanguine generatur. probatur, quia est dicit essentiam. essentia est à forma. ergo cum sanguine recipit formã, & generationem: non autẽ in venis, & renibus: vt tu perperam arbitraris. Patet etiam per Galenum. 3. epid. Com. primo tex. 5. vbi ait vrinã esse serum humorum in venis contentorum. An autem consequens sit, vt si in venis continetur, etiam generetur: iudicent studiosi. Præterea. 1. sanit. tuendæ, & alibi sæpe inquit in venis, et arterijs coaceruari. Tu verò contradicendi studio, nullum ponis discrimen inter coaceruationem, & generationem. quis autem est, qui nesciat coaceruationem præsupponere generationem, reique essentiam. nunquid aceruus lapidis fieri poterit, nisi primò lapides essentiam habeant? an nescis omnem quęstionem simplicem præcedere compositam? sic vrina, cum coaceruatur in venis, alibi primo habuit existentiam, à renibus trahitur, ne onus existat reliquis venis, ac ad vesicam trudit. Is locus igitur, quem tu citas, non pro te facit, sed potius opinionem tuam funditus destruit. Nec minus eam pręcipitem reddit locus, quem citas. 1. de locis affect. dicente Galeno, primam urinæ secretionem in renibus fieri. Nam aliud est secerni à renibus: & aliud generari, & formam recipere. renes etenim secernunt

nunt vrinam, à sanguine, quo vtuntur pro alimento, vrinamque per ureteras vias expellunt ad vesicam. At secernere & diuidere, nõ est generare: cùm generatio sit acquisitio formæ. Quòd si hæc tua opinio vera esset: cùm sanguis in vltima coctione secernitur ab excrementis crassis, & tenuibus: consequens esset, sanguinẽ in vltima coctione generari. quod apertè falsum est, cũ in secunda, quæ in iecore fit, generetur. quomodo ergo vrinam in renibus generari, & formã recipere dicis? num immemor verborum tuorum suprà prolatorum, quibus in venis generari contendebas? num præceptoris tui, qui proprio quæsito de sedimentis, uenarum esse excrementũ, cùm ibi coaceruetur, dixerat? num Galeni es immemor, qui. 4. Apho. 77. dixit ex venis vrinam venire, in renibus autem percolari, in vesica aggregari. Itaque cùm veniat ex venis, quomodo, in renibus generari poterit, & formam recipere? cùm forma sit actus & causa essendi: at ipsa prius erat in venis aceruata, contenta, & in hepate genita. Præterea, si vrina est vehiculum sanguinis, vt Galenus loco citato: & sanguis generatur in hepate: quomodo in renibus generabitur? Patet etiam ratione ex Galeni verbis. 2. prognost: 26. Igitur (ait) facultatis in ventre inditia cognoscuntur ex his, quę quotidie deiciuntur: facultatis verò iecoris, ac venarũ ex vrina. Hinc sumo huiusmodi argumentũ: deiectiones ostendunt facultatẽ ventris, vt loci generationis earũ. ergo vrina ostendit facultatẽ iecoris, vt loci generationis ipsius. Hoc idẽ Auicennas cõfirmat. 2. fen. 1. doc. 3. sum. 2. cap. 1. cuius ser

mo est: Firmior tamē eius significatio est illa, quę de hepate existit. ex quibus omnibus clarū est vel lippis & tonsoribus, vrinam in iecore generari: tu verò ista ignoras. Ad hæc me reprehendis, qui dixerim ex auctore de lapide renum, vrinam verè in vesica dici in venis verò serosum excrementum. vt differentia sit penes dici, non penes esse: meque ais auctorem illum minime intelligere. Cum puerilia hæc sint, nolo in his tempus terere: sed studiosos ad locum illum legendum remitto: vt iudicent, vter nostrum illius mentem rectius fuerit assequutus. Nunc velim ex te audire, quo in loco dixerit Galenus vrinā in renibus alterari, immutari, & formam recipere? quod tu ei falsò tribuis? dixit enim, & rectè quidem: renes cū vrina sanguinē & bilim trahere: sanguine vti pro alimēto: hunc alterare & immutare: vrinā verò expellere, & bilim. Nec aliquid concludit ratio, quam ex. 3. Meth. cap. 3. inducis: vbi Galenus asserit omnem alimenti mutationem duo sequi excrementorum genera. Etenim dicere possem, Galenum veluti bonum dialecticum, diuisionem facere bimenbrem, quò perfectior sit: ad genus tamen excrementi tenuis, serosum excrementum reuocatur. imò. 2. Natural. facul. 2. bili tenuius esse scribit serosum excrementū. & 5. de vsu par. cap. 6. crassissimum quidē melancholicū, tenuissimum verò serosum, atque amborū mediū ipsum biliosum. & si oppositū dicere videatur. 5. de anatom. administ. verius tamen & tutius dicimus verā esse Galeni propositionem: siquidem vrina excrementū est tenue, & materia hypo-

stasis

stasis excrementū crassum, quæ vltimam sanguinis generationē consequuntur & perfectionē, quę in gibbo hepatis fit. hoc vetus est dogma, hæc vera exquisitaque Galeni doctrina, quā pręceptores mei, uiri omniū consensu absolutissimi, me docuerunt. Tu vero, cū pręceptore tuo noua dogmata affers, ac tanquam hæresim in Medicina excitare conaris.

Inquis prætera, me magis cęcutire, cū dixerim, in hepatis conuexò sanguinem perfici. Nam (inquis) perfici est vltimā formam recipere, quę vltima forma perfectionē dat, & esse. Sed, quæ recipiunt formā vltimam, generari: cùm forma sit principium generationis per se. ut Com.64. & .67. physi. 1. itaque si in gibbo reciperent vltimam formam: in gibbo generarentur. clarū autem esse in cōcauo & substātia hepatis generari, dicēte Galeno. 4. de usu partium: Postquam bilis flaua & atra fuit à sanguine segregata, purus sursum ad gibbas hepatis ascendit. Vnde infers, vbi sanguis purificatur, ibi perficitur: sed purificatur in substātia & cōcauo hepatis: ergo ibi perficitur. hæc tu aduersus me. Nolo tecū agere, an iuxta Aristotelis sententiam dixeris, formam eße principium generationis: neque an eius mentē fueris assequutus: cùm mihi propositū sit me ipsum à calumnia tantùm uindicare: non tua errata, nec quas facis contradictiones, quę sexcentę sunt, castigare: quandoquidem annus integer non sufficeret. tantùm dicam, principia generationis vera esse, materiam, & motorem, vt. 1. de gener. 14. Auerroes. & .3. Phys. 1. cū forma potius sit finis generationis: qua adueniente ces-

ſat omnis actio. vt. 1. de gener. & in ſpermate non ceſſant partes eius recedere, & partes fieri hominis, donec forma humana introducatur. 1. Phyſi. 62. verùm cùm iſta non intendamus, dixeris, vt lubet. Abſurdum ne tibi videtur, ſanguinem vltimam perfectionem recipere in hepatis gibbo? quis eſt, qui neſciat, modò in Galeni doctrina verſatus fuerit, totam iecoris ſubſtantiam & carnem ſanguinis fuiſſe opificem, quæ quidem caro proprium iecoris corpus eſt. vt. 6. de Placitis Hippocratis & Platonis. 13. verũ hæc ſanguificatio ſiue ſecũda concoctio tres habet gradus. primus, qui reliquorum, imperfectus eſt, in venis fit meſeraicis: in quibus tantũmodo rudimentum eſt ſanguinis. Secundus gradus in ſubſtantia hepatis fit, & concauo: quo in loco duo illa excrementa ſegregantur: bilis flaua quę à veſica fellea: humorq; melãcholicus, qui à liene trahitur. Tertius ſanguificationis gradus in hepatis fit gibbo, parteque ſublimiori, in qua vltimam ſanguis formã recipit priùs, quã cauam ſubeat venam, qua in parte alterum excrementorum genus generatur, hoc eſt ſeroſum excrementum, quod bili eſt tenuius, & materia ſedimenti. ſanguis autem extremã formam adeptus, excipitur à vena caua vnà cum excrementis ipſis, cùm ſeroſitas pro uehiculo ſeruiat: quæ poſtea trahitur à renibus, ac expellitur ad veſicam ſecum materiam ſedimenti ferens. Hæc, non mihi, ſed Actuario negas, libello de differ. vrinarum cap. 5. & Auicennæ. 2. fen. 1. doct.. 3. ſum. 2. cap. 1. Nam in ſermone vniuerſali] de vrinis, poſt medium capitis, inquit: Firmior tamẽ eius ſignificatio

eſt

est illa, quæ de hepate existit, & propriè de dispositione gibbositatis ipsius. Vides igitur, non me, sed Actuariũ & Auicennam à te reprehendi: clareque patere vter nostrum cęcutiat. Galenus verò, cùm dixit (4. de usu part.) sanguinem purum ascendere: purum inquit ab illis excrementis crassioribus, sero & materiæ hypostasis collatis.

Impugnas me etiam, quod dixerim, definitionibus perfectis completis, & essentialibus, inesse quatuor genera causarũ: ac duobus argumentis resistis. quorũ primum est. Definitiones essentiales, illę sunt, quæ rei essentiam explicant. essentia verò rei tantùm constat ex materia, & forma. ergo materia & forma tantùm in definitione debet contineri, cùm hæc substantiam constituant. citasq; Arist. 8. Metha. 6. quo in loco Aristoteles Architæ definitionem laudabat: quæ dabatur per materiam & formam. & Auerroes in comẽto ait quod tales sunt definitiones perfectæ. Alterum argumentum est definitiones essentiales debent ingredi tantum principia intrinseca: at principia intrinseca sunt materia & forma: extrinseca verò finis, & efficiens. ergo ista non debent definitiones ingredi, cùm extra rem sint. eoque magis errasse me asseris, quò Aristotelem citẽ. 7. Meth. atque contendis, nec eo in loco, nec alibi talia Aristotelem dixisse. Cùm tenebrosus sis, mirum non est, si Aristotelis propositionem non videris. nonne. 8. Metha. test. 12. iussit Aristoteles ad perfectam scientiam rei alicuius necessarias esse omnes causas, quas habet. nonne Auerroes in principio Com. inquit: Quia

& medium demõstrationis, est ipsa definitio. ergo non habebitur scientia perfecta. Sed hoc est inconueniens dicere. ergo inconuenientius erit asserere definitionẽ non ĩgredi quatuor causas. tu verò, quia infantissimus es, nil mirum alicui uideri debet, si hæc non cognoscis. Rationum, quas adducis, responsionem legas in Ioanne de Iannuno & Achillino. 1. Phys. ex quibus eas subripuisti. Quod verò citatus videatur. 7. libe. Metha. error fuit excussoris, vt facilè potest deprehendere, qui libellum legerit. Cùm ergo vera sit propositio mea: vel tantorum potius auctorum: consequens est veram esse Hypostasis definitionem: quę per omnes suas causas datur: non, ut malè arbitraris, superfluam, & nugatoriam.

Negas etiã eã definitionẽ ex Galeno esse desumptã. 1. prognost. ult. quem locum si medullitus perscrutares, fructum ex Galeno perciperes, non corticem. an nescis omnia in venis contenta, præter sanguinem, eius fore excrementa, cùm natura sanguinem tantùm intẽdat? vt de cibis boni & mali succi, quia sanguis tantum nutrit. Præterea, cùm dixit, quidquid alimẽti: in sanguinis generatione naturæ fugit conuersionem, subsidere in urina: quis negauerit ex his verbis percipi, sedimentum excrementum esse, cùm ueluti inutile quoddam nutritioni, expellatur? Nam cùm dixit, Alimenti, declarauit materiam illius: quia excrementum est ex alimento genitum. alimentum enim quoddam est futurum alimentum, nempe in ventriculo chylus: veluti alimẽtũ, sanguis ĩ hepate; uerè alimẽtũ sanguis in qua-

& medium demõstrationis, est ipsa definitio. ergo non habebitur scientia perfecta. Sed hoc est inconueniens dicere. ergo inconuenientius erit asserere definitionẽ non ĩgredi quatuor causas. tu verò, quia infantissimus es, nil mirum alicui uideri debet, si hæc non cognoscis. Rationum, quas adducis, responsionem legas in Ioanne de Iannuno & Achillino. 1. Phys. ex quibus eas subripuisti. Quod verò citatus videatur. 7. libe. Metha. error fuit excussoris, vt facilè potest deprehendere, qui libellum legerit. Cùm ergo vera sit propositio mea: vel tantorum potius auctorum: consequens est veram esse Hypostasis definitionem: quę per omnes suas causas datur: non, ut malè arbitraris, superfluam, & nugatoriam.

Negas etiã eã definitionẽ ex Galeno esse desumptã. 1. prognost. ult. quem locum si medullitus perscrutares, fructum ex Galeno perciperes, non corticem. an nescis omnia in venis contenta, præter sanguinem, eius fore excrementa, cùm natura sanguinem tantùm intẽdat? vt de cibis boni & mali succi, quia sanguis tantum nutrit. Præterea, cùm dixit, quidquid alimẽti: in sanguinis generatione naturæ fugit conuersionem, subsidere in urina: quis negauerit ex his verbis percipi, sedimentum excrementum esse, cùm ueluti inutile quoddam nutritioni, expellatur? Nam cùm dixit, Alimenti, declarauit materiam illius: quia excrementum est ex alimento genitum. alimentum enim quoddam est futurum alimentum, nempe in ventriculo chylus: veluti alimẽtũ, sanguis ĩ hepate: uerè alimẽtũ sanguis in qua-

que particula.& cũ excremẽtũ sit, minimè tenue excrementũ esse poterit: quia tenue excrementũ hepatis gibbi: serosa est superfluitas: vt suprà latius probauimus. Habemus hucusque tria, esse excremẽtũ, crassum, ex alimẽto. Cũ verò dixit, Quod fugit sanguificationẽ: modũ manifestauit generationis. nã propter aliquã praeter naturae causam in sanguinẽ uerũ uerti nequiuit. nõne recolis, quod. 3. de sympto. causis. 2. alibiq́ue sępe scripsit Galenus, omnẽ excremẽti vim duplicẽ parere cãm? nempe alteratrix facultas, parum cõmodè se habens: & ciborum uitium. cùm ergo pars illa fugit sanguificationem, aut erit rati one facultatis, aut ratione cibi. clarum autem est, eas causas praeter naturam esse. Praeterea, semper excrementa quid pręter naturam pręseferunt, quod expulsione indiget: sicut, quae secundum naturam, cõseruatione. cùm hęc igitur sint excremẽta, nõne aliquam causam praeter naturã in eorum generatione concurrisse dicant? Hęc omnia habemus hucusque, quòd sit excrementum, crassum, ex alimento genitum, propter causam aliquam pręter naturam. Cum naturae mentionem fecit: quis negauerit causam dici efficientem, quae est propria partium temperies: (iuxta Galenum) quarum partiũ officium est, ad propriam deducere naturam appropinquantem humorẽ: ut ipse Galenus suprà in principio Com. asseruit, & alijs in locis. At cum causam intellexit efficientẽ, formalẽ etiã intellexisse necessum est: cùm efficientis sit formam educere è potentia materię. 7. Meth. 28. Auerroes. Quin etiam, naturae finem intellexit sub hoc naturae nomine:

ne: cuius finis est, assimilare sibi humorem: nam omne agens agit propter finem.2.Phys.74. Ex quibus perspicuum est omnibus, totã definitionem sumptam fuisse ex Galeni verbis. tu verò hoc negas: quia non medullam, sed corticem auctorum decerpis.

Negare præterea videris,quod nos diximus,in maioris hypostasis generatione,causam aliquam præter naturam,concurrere, vel iecoris imbecillitatem, vel materiæ vitium.etenim,quando corpus bene se habet,nullumque est in cibo vitiũ,numquam fieri hypostasim.verùm,quia ista non reperiuntur,ideo semper in vrinis & ægrorum & sanorum hypostasim reperiri. Quo in loco duos videris mihi errores tribuere: primum, quòd cùm semper in sanis hypostasis reperiatur, ego illud negauerim: alterum, quòd in eius generatione causam præter naturam concurrisse affirmauerim. Quòd si eorũ,quæ paulo post dixi, oblitus non esses; hoc mihi minime adscriberes.Hæc etiam insequuntur: Corpora,quæ inculpata sanitate viuunt, nullum in vrinis faciunt sedimentum.at quia raròcorpora huiusmodi sortiuntur temperiem, vt plurimum in vrinis sanorum hypostasis inuenitur. Nescis sanitatem duplicem fecisse Galenũ,quãdam optimam, &(ut ita dicam)consummatam,atque summam: quam corpus eucraton habet; atque intellectu tantum, & cogitatione potius percipitur: ut. 1. de tẽperamentis,&.1.sanitatis tuendæ.4.&.5.altera uerò sanitas, quæ in sanis omnibus subsistit, ab hac optima deficiens,nec planè absoluta & perfecta vt illa:sed latitudinem habens non paucam: cùm alij parũ ab hac

deficiant

menta sunt, cùm hęc nostrum corpus augeant: sed in ea alimenti parte, quæ sanguificationē fugit, propter suā naturam, & formam. ut causa præter naturam sit in ea alimenti parte, quæ versionē sanguinis spreuit. Rursus illud probare conaris ex Galeni verbis. 1. prognost. vlt. vbi ait, neque vt pus præter naturam causæ particeps. quem locum si diligenter perpēdisses, minime protulisses. vult etenim manifestare eo in loco Galenus, modum generationis puris: eiusque coloris causam reddere. dicit autem pus esse album, ratione qua semen à solidis corporibus reducitur ad propriū colorem. huiusce rei ratio est, quia nulla in eo causa concurrit prętor naturā: cū sanguis sit purus & perfectus, quē testes sui nutrimēti gratia traxere. ita & pus colorē habet albū à partibus solidis inductū. verùm nequiuit perfectum eū habere, licet ex sanguine sit: cùm in eius generatione aliquid concurrat præter naturam, ut putredo. nam sanguis, cùm ex uasis excidit, statim putredinem nanciscitur. 6. Aph. 20. itaque non potuit perfectum habere colorem, ut semen, propter eam, quam habuit putredinem, præterque naturæ causam. His patefactis, sedimenti causam generationis manifestat, eiusque coloris. censet autem eandem esse & seminis, & sedimenti cadoris causam: generationemque puri proportione respondere. ac subdit; iniectum esse inter id, id est pus, & naturales humores, id est semen. quandoquidem semen est sanguis perfectus: at pus sanguis est putridus, et omnino præter naturā. sedimentum verò quid medium inter hæc: cùm non sit ueluti pus, neque ut semen: sed
imperfectus

imperfectus sanguis, & excrementosus, qui sanguifica tionem perfectam non recepit. reddensque huius rei causam, eiusque generationis modum manifestans, inquit: Quidquid enim alimenti in sanguinis generatione ultima, naturæ refugit coctionem, subsidet in vrina: neque ut sanguis ab ea commutatum, neque ut pus præter naturā causæ particeps. id est, neque tanta in eius generatione cōcurrit causa præter naturā, quāta in puris generatione. etenim pus sanguis est putrefactus: sedimen sanguis imperfectus, & excrementosus. Præterea, si utriusque sedimenti coloris causam, ut fateris, tradidit: cur generationem utriusque non manifestauit? Dicamus igitur Galenum, sicut utriusq; cādoris, ita & generationis utriusq; modū assignasse. quod ille ipse confirmat. 2. Prognost. 26. quo in loco, te annuē te, ægrorum sedimenti generationem ostendit, & ciborum uel multitudini, uel paucitati tribuit. etenim copiosum habet urina sedimentum, quoties largius uiuitur: quia nequit natura totum in sanguinem commutare. Itaque cùm in sedimenti sanorum generatione (ut ex his, & suprà adductis notum est) cōcurrat causa præter naturam: clarum est meam de hypostasi definitionem plura non continere, quàm definito conueniant. quamobrem relinquitur ueram esse eam definitionem: Sedimentum est excrementum quoddam crassum, ex alimento, quod in hepate sanguificationem refugit, propter causam aliquam præter naturam, in uenis & arterijs à propria earum facultate ad earum naturam quodāmodo assimilatum, ut ad propriā substantiā conuer-

tat. Atque concluditur illud argumentum nostrum firmissimum esse : Cuicunque competit definitio, competit definitum : sed vtrisque sedimentis competit definitio : ergo utrisque competit definitum. Desiderarem equidem à te, uel à præceptore tuo aliam afferri sedimenti definitionem : uel ab ipso, uel à Galeno traditam. Addis me mihi repugnare, quòd modum generationis ipsius hypostasis patefaciens dixerim: Si virtus ualida est, nullumque sit in chylo uitium, nihil insanguificatum remanet. paulo uerò post: Corpora, quę inculpata sanitate uiuunt, nullum faciunt in urina sedimentum. His etsi antea responsum est : breuibus tamen rem perstringendo, dicimus uerum esse, corpora, quæ parum declinant ab illa optima sanitate, quæ mente tantùm concipitur (modò non peccent in sex rebus non naturalibus) nullam facere hypostasim : cùm, cæteris excrementis expulsis, nihil remaneat insanguificatum. uerùm, quia raò corpora hæc, uel nunquam reperiuntur : ut plurimum in uenis sanorum hyppostasis apparet. Nec auctoritas Galeni, quem citas, facit contra me. is enim de corporibus loquitur, quæ multum declinant ab optima illa corporis constitutione, quæ mente tantùm concipitur.

Taxas etiam, quòd dixerim, quò maiori lapsu corpora uiuunt, eò maiorem faciũt hypostasim. cuius rei causam hanc attuli: quia si inualida facultas est cõcoctrix, ualidaque expultrix, & peccatum sit in cibo, uel quali uel quanto : maiorẽ hypostasim habẽt urinæ. quæ propositio uera est. eam confirmat Galenus. 1. de crisibus.

12. vbi

12.ubi scripsit,pituitosos,& qui otiosam uitam habēt, copiosiorē habere hypostasim, quā biliosos: uel quia pluri utuntur cibo,quàm natura possit concoquere:uel quia frigida intemperies. Tu uerò instas de biliosis corporibus,qui & si maiori lapsu uiuunt,paucam faciunt hypostasim. At idem in his efficeretur,si multo cibo uterentur: & materia non solueretur prius,quàm aliquid subsideret. Sed,quia biliosi paucum cibum assumunt (& hoc propter naturalem partium caliditatem, quæ destruit appetitum: cuius oppositum creat frigiditas) paucam faciunt hypostasim. nam Hippocrates.2. Progno.26.Cæterùm(ait)nullo pacto sedimentum habet, si tenuiter: copiosum uerò,si largius:exiguum uerò, si modicè uiuitur. Quis etiam negabit, modo ne contentiosus sit,pueris ualidissimam esse concoctricem uirtutem: cùm id sexcentis in locis scripserit Galenus.ego uerò non propterea dixi plurimum in eorum subsidere urinis: sed ob inualiditatem, plurimumque cibum: etenim copia sedimenti fit, uel quando concoctrix inualida,& expultrix ualida: uel ratione cibi.tu uerò alterum membrum reliquisti,scilicet ratione cibi:utraq; tamē causa tam separatim,quàm coniunctim potest hypostasim copiosam generare. imò uirtus ipsa, & si fuerit fortis: respectiuè tamen quandoque imbecillis dici poterit: cùm cibum multum non ualeat concoquere.

Negare etiam uideris plurimis argumentis,sedimēti materiam potentia non continere omnes humores: nostram autē de humoribus opinionem erroneam, & falsam

ſam extimas. Equidem miror, quod hic te tantopere ia ctes, cùm ea in re Ariſtotelis ſententiam ſecutus ſim. quam ne Galenus quidem auſus eſt impugnare, ſed de ea honorificè mentionem fecit. 2. de elemẽtis. 1. his verbis: Quod quidem igitur ex ſanguine matris omnes animalium ſanguineorum partes ſint generatæ, cuilibet eſt manifeſtum. cùm uerò hic ſanguis participet & pituitam, & geminam bilim: non abſque ratione hic eſt orta diſcordia, nonnullis ex ſolo ſanguine nos eſſe genitos, nonnullis uerò ex quatuor humoribus aſſeuerantibus. non poſſumus autem æquè in his oſtendere ueritatem, ſicut in primis elemẽtis. nam ſermo uterque maximam habet probabilitatem. ipſe tamen ad Hippocratis deflectit opinionem. Sed his omiſſis, quò opinio noſtra magis pateat, hæc initiò ponenda ſunt. Primò, quod cùm continuo noſtra corpora exiccentur pro humidi refectione, natura ſanguinem intendit, ad cuius generationem multa requiruntur; primo materia ex qua ſanguis generatur: deinde efficiens qui materiam diſponat, & formã educat: tum loca in quibus hæc fiãt. Secundo, cùm ſanguis ex alimentis generandus ſit, tanquam ex materia, cùm aliena ſint ſecundum magis & minus à natura humidi reficiendi, & ſanguine: plura fuerunt generata loca, in quibus per coctiones alimenta purificarentur. ut uentriculus, iecur, ultimęque partes: ac in his locis vim natura tribuit hæc omnia peragendi: nempe vt traheret, quod ſibi familiare, alteraret, concoqueret, & alienum expelleret. quæ omnia rectè ſuccedunt: ſi materia nec in quali, nec in quãto

to defecerit, vel harum virtus fortis extiterit, uel loca quæ aliena à natura recipiunt, non fuerint aliqua ex parte affecta: vel omnia hæc, vel aliqua horum. Tertio, sanguis tantùm purus perfectusq; in venis corporũ sanorum continetur, & naturalis pituita: vtraque bili segregata ante sanguinis ultimam perfectionem. Etenim tota iecoris caro facultatem obtinet sanguinem perficiendi, elaborandi, & purificandi. in qua sanguinis perfectione plures sunt gradus: quandoquidem in venis meseraicis aliqualem recipit præparationẽ, quã sanguinis rudimentum appellant. in concauo hepatis, magis perficitur: quo in loco pars crassa segregatur, quam lien ad se trahit; parsque tenuis, quam vesica fellea suscipit. verùm nondum sanguis perfectam formam acquisiuit: sed est tertius coctionis gradus (vt rectè Actuarius, qui istos tres gradus distinxit) quæ in gibbo hepatis fit, in qua sanguis perficitur vltimamque recipit formam: aliaque duo procreantur excrementa: alterum serosum, & materia siue pars quędam sanguinis impuri, qui sanguinis perfectam formam perfectionemque non accipit: sed tendens cum sanguine puro & perfecto per uenas, & arterias à natura concoquitur, ac eo modo quo potest assimilatur: quod fit, postea sedimentum in vrinis. Verùm materia illa, quæ cum sanguine ex concauo gibbas partes hepatis petit, vt in sanguinem conuertatur: sed, cùm ob suam repugnantiam & ineptitudinem nequeat, fit postea sedimentum: omnem humorum naturam sapit. nam sicut sanguis uerus partes habet crassas, & tenues, & mediocres, quæ po-

stea

stea sunt bilis flaua, & atra: ita in materia illa, quæ perfectam sanguinis formam non recepit, sunt partes istæ omnes. Sed ille sanguis purus est, & perfectus: iste uerò excrementosus, qui postea in uenis aliqualem recipit formam: cumq; sit ineptus & excrementosus, expellitur. Et, sicut sanguis perfectus quandoque magis tenuis, quandoque crassior, quandoque mediocris est: ita in materia hac dominabitur modò crassities, modò tenuitas, modò mediocritas. uerùm excrementa cùm sint, debent expelli: sin autem; putrescunt, febrēque gignunt. si crassities dominabitur, pituitę naturam præseferet, & materiæ crudæ, aut melancholici humoris: si tenuitas, naturam bilis: si mediocritas, naturam sanguinis. quæ crassities, mediocritas, & tenuitas, multitudo, & paucitas, possunt aut à facultate oriri, & tēperatura quatuor qualitatum: aut ratione cibi multi & pauci, uel frigidi, uel calidi, humidi, & sicci, atque ex horum mistione. quamobrem dicebat Galenus. 2. Prognost. 26. Cæterum urina nullo pacto sedimentum habet, si tenuiter: copiosum, si largius: exiguum, si modicè uiuitur. Porrò sedimentum habet copiosum, quoties morbus ex humoribus crudis corpus fatiget: nullũ uerò, aut omnino minimum, quoties ex biliosis: sed satis erit, si habeat sublimamentum. Et. 27. eiusdem ait, sedimentum rubrum indicare exuberantiam sanguinis non exquisita ratione perfecti. sicut. 3. Epid. Com. 1. test. 5. Et. 1. de crisibus. 12. Pueris omnibus, & hominibus ociosis, aut quouis alio modò plenis, plurimum in urina subsidet: quoniam plus habent de crudo, &

inconfecto humore: qui si febricitabunt, plurimum subsidere oportet: contrà uero his, qui ex inedia &c. Hoc uerba mea præseferebant: tu uerò aliud mente uolues, id non deprehendisti. Nec aliquid concludit ratio illa: Sedimentum medium inter pus & naturales humores à Galeno ponitur: ergo in eo non sunt humores. dico materiam sedimenti esse mediam inter pus, quod est omnino præter naturam: & naturales humores, id est sanguinem uerum, & perfectum. quia materia sedimenti est sanguis impurus, qui perfectionem sanguinis non potuit recipere propter suam ineptitudinem. Sed iuxta dominium erit sanguis melancholicus, aut biliosus, aut crudus, & pituitosus: ut. 10. simp. cap. de sanguine. & cùm sit sanguis, in eo misti erunt humores excrementosi, & mininimè naturales, ut falsò mihi imponis. imo hęc tua ratio funditus opinionem tuam destruit. Nam si materia sedimenti media est inter id, quod est omnino præter naturam, & id quod omnino naturale: consequitur, ut materia sedimenti participet aliquid præter naturam, cùm sit mediū quid. Nec potuit membris assimilari; quia illa puro, & perfecto sanguine nutriuntur: materia uerò sedimenti est sanguis impurus; sed accepit, quam potuit similitudinem. Nec ad actum reducuntur in iecore; quia locus non est aptus: sed in uenis, ubi concoquuntur, & formam recipiunt, excrementique dominium, cùm expelluntur, ostendunt. Imo consequens est, quia hæc materia est sanguis, sed impurus, minimeque aptus nutrire, & segregatur à uero sanguine in hepatis gibbo, quo in loco

sanguis

ſanguis ultimam (ut dixi) recipit perfectionem. attamen ſanguis eſt, non perfectus, ut is, qui nutritioni deſeruit. Differt uerò à pituita naturali: quia hæc nihil habet præter naturam admiſtum, ſicut materia ſedimenti.

Neque errore ducor, ut tu inſulsè inſultas: quòd dixerim, utriuſque ſedimenti eandem eſſe materiam: tantumque putredine differre. Etenim materia, quæ ſanguificationem perfectam refugit, quod eſt ſedimentum in ſanis: ſi retinetur, putreſcit, fitque ſedimentū in ægris. ſi eadem materia, ergo eiuſdem ſpeciei. Nonne Ariſtoteles, Auerroes, & Alexander, primo Meteororum, res meteorologicas eiuſdem eſſe ſpeciei aſſeruerunt, quia eadem eis materia idemque efficiens, ut eadem materia, ex qua pluuię, ros, nix, grandines fiūt. etſi figuram & formam habeant diuerſam, differre tātùm penes magis & minus. Ex quo intelligi par eſt, ſedimenta eiuſdem eſſe ſpeciei, quia eadem materia, idem efficiens, & (quod magis eſt) eadem forma, ut proprio loco manifeſtabimus. diſcrepare uerò tantū maiore & minore naturæ familiaritate: atque putredine. ſic eadem materia ſudoris, & urinæ: ut latius infra demoſtrabimus in exempli huius ponderatione. ſic eadem omnium hominum materia, idem efficiens, eademque forma ſpecifica, unde omnes homines eiuſdem ſpeciei dicimur. Neque fateri cogor (ut deciperis) omnem febrem putridam ex iſta oriri materia putrefacta. quandoquidem poteſt ſanguis purus, ac ſyncerus putrefieri; atq; aut tota eius ſubſtantia, aut pars tenuis, uel craſ-

sa, bilisque fieri, uel humor melancholicus: qui postea putrescentes, febrem faciunt, iuxta eorum naturam. quæ sedimenta minime eiusdem erunt speciei: quia eandem non habent materiam, sed diuersam. quod in fine mei quæsiti apertè his uerbis explicaui: Raro uerò (inquam) diuersæ erunt speciei, & hoc cùm sanguis purus, & syncerus propter causam aliquam procatharticam, ut mœrores, itinera, insolationes, & reliqua, putrescit. ac pars tenuis uertitur in bilim: crassa, in humorem melancholicum. deinceps hi etiam, qui geniti sunt, putrescunt, & sedimentum faciunt. at, quia rarò hoc accidit, manifestum est sententiam nostram ueram esse. Ex quibus clarè patet, à me concludi, sedimenta non semper diuersæ esse speciei, nec semper eiusdem. quod præceptor tuus, falso aßerebat: tu uerò hæc minimè ponderasti.

Sed instas adhuc, atque ais, quòd etsi concederetur sedimenta eadem materia constare, ac putredine differre: non tamen effici, ut eadem specie sint. atque illud argumentum affers: Si sedimenta febricitantium sunt partes humoris putridi, & putredo est mutatio totius substantiæ ad corruptionem: ergo sedimenta ęgrorum aliam habent substantiam. etenim, si mutatur substantia; mutatur materia & forma, quia substantia de materia & forma dicitur. Hic est illę uester Achilles, hęc ea ratio toties à uobis repetita, qua cõcludi putatis non esse eiusdem speciei. At, quoniam uos ipsos solos Philosophos ducitis, uidete, an tam firmum sit argumẽtum, ut in Aristotelem retorquere poßim: idque ratione maio-

ne maiorem uim inferente; cùm de corruptione loquar, quæ mutatū esse dicit, non de putrefactione, quę alterationem tantùm & mutationem pręsefert, quia uia est ad corruptionem. Dixerim igitur pari ratione contra Aristotelem, Nix est corrupta, quia accepit aliam formam. at cùm mutauit formam, mutauit materiam. dicitur enim substantia de materia, & forma, & propria forma propriam poscit materiam. ergo nix, cum reliquis metheorologicis ex uapore prodeuntibus eiusdem speciei non erunt, neque eandem habebunt materiam, cùm non eandem habeant formam. ex quo consequeretur malè Aristotelē sensisse. Nō animaduertūt argumentum suum concludere de forma indiuiduali, & particulari, non autem de forma specifica. Equidē hoc pacto concederem, sedimentum idem numero non esse cum sanorum sedimine, sed idem specie. quatenus enim materia & forma participant specifica, sunt unū specie: sicut participatione speciei, omnes homines sunt unus homo. Sed illud prætermittendum non est, uestrum argumentum alia quoque ratione corruere. etenim putredinis natura definitur: ut sit mutatio totius putrescentis corporis substantiæ ad corruptionem: & corruptio est transmutatio de non esse ad esse, qua adueniente, forma aduenit. putrefactio uerò est mutatio ad corruptionem. cùm autem sit mutatio, est alteratio, præuiaque dispositio ad formam introducendam, quę forma substantialis & perfecta nondum est inducta. At cùm inducta non sit, materia mutata non est, sed alterata. ergo eadem. hoc innuit Galenus. 2. Aphor. 17. pu-

trefactionem uinis acescentibus comparans, quæ si peruenerint ad ultimam perfectionem, & acetositatem: non possunt amplius ad benignum reduci. ergo putrefactio est alteratio. An nescis, cùm putredo sit qualitas, & hæc accidens; accidentia posse adesse, & abesse, præter subiecti corruptionem? ergo materia putredinis eadem: cùm non corrupta, sed alterata sit. Nō recolis, te infrà dixisse, qualitates & accidentia, nullo pacto formas fore substantiales: cùm de forma mecum agens, me uel nō intelligebas, uel intelligere nolebas. hic uerò immemor, uoluisti putredinem formam esse substātialem, quia mutat materiam? Dicamus igitur utriusque sedimenti eandem esse materiam: tantùmque differre putredine, quæ minus eam naturæ reddit familiarem. putredo autêm, cùm accidens sit, substantiam non mutat. quò fit, ut eadem sit utrisque sidimentis materia: sicut & omnibus rebus meteorologicis ex uapore prodeuntibus.

Ad eas autem, quas citaui, auctoritates: primò asseris Galenum. 1. Epid. nō de generatione hypostasis, uerba facere, sed omnium excrementorum. Ego uerò ex tuis ipsis uerbis contrà infero: si de omnibus excremētis loquitur, de hypostasi quoque loquitur. Nam materia hypostasis, excrementosa materia est: ut probauimus. Sed, cùm illud concedas: quòmodo hoc negas? an nescis dictionem Omnis, uniuersalem esse? non ne exemplificat de excrementis urinarum, quarum hypostasis ipsa est excrementum. ergo de sedimento uerba facit. Negas etiam imbecillitatem facultatis alteratricis:

tis: causam esse generationis excrementorum. neque solùm Galeno contradicis. 2. de differentijs feb. & . 3. de sympto. causis: sed ueritati. quis adeò proteruus negauerit, ob facultatem inualidam, chylum coquere neque untem, malas fieri coctiones: excrementorumq; huic subsequi multitudinem. an ignoras coctionem frustari quandoque ratione agentis, non debitè, ac ritè operantis: quandoque ratione passi, ut puta, materiæ?

Sed nullo pacto ferẽdũ ais: quod dixi ex hoc Galeni loco percipi eandem esse materiam utrisque sedimẽtis. Ibi enim (indicio tuo) Galenus comparat corpora sana ægris, & alimenta humoribus putridis: humoresque putridi distant tota substantia ab alimentis: ex quo eiusdem speciei esse non possint. Profectò hinc liquidò constat te Galenum non intelligere. Etenim non facit comparationem inter corpora sana, & ægra, ut tu somnias, neque inter alimenta, & humores putridos: sed inter corpora, quæ sunt in latitudine sanitatis magis, et minus familiaria. atque hoc probatur, cùm inquit Galenus accidere, ubi sunt à natura immutantis, & alterãtis aliena: quod assimilatur, paucum esse: semicoctum verò excrementum multum. at putridi humores nullo pacto nutriunt, sed toti sunt excrementosi. non ergo ea, quæ tu existimasti comparat: sed alimẽta inter se, quæ si naturæ familiaria sunt, excrementum est paucum, citoque expellitur: si non sunt familiaria, excrementũ est multum: quod non expulsum putrescit, morbũque creat. ergo idem excrementum, (licet differant, quia cùm non fuerit expulsum, putredinem acquisiuit) idẽ-

que efficiens,ut nempe natura, quæ omnium causa est naturalium operationum. Neque aliquid ratio tua cō cludit, quod putredo faciat differre tota substantia, ut suprà latè ostendimus.

Secundò,ponderas locum.2.de differ.feb.cap.5.neque videris eo in loco Galeni mentem percipere. nam, postquam declarauit excremēta sanguinis, ut materia biliosa,pituitosa,& melancholica,febrem non facere, nisi putrescant, vult explicare naturæ opus circa huiusmodi excrementorum generationem. Semper (inquit)natura suis uiribus utens optimum assimilat, & alienum expellit. at quando alienum illud natura, propter suam crassitiem,aut tenacitatē, aut multitudinē, aut obstructionem meatuum, aut suam impotentiam, totum excrementum non expellit, cùm non possit diu permanere,putrescit. At materia sedimēti quid aliud est,quàm id,quod non potuit fieri sanguis, & tanquā alienum excernitur à natura? quod si non totum expellitur,propter eas,quas recensuit causas putrescit,febrē gignit,in urina denique residet? ergo eadem materia. differt autem putredine,quia in sanis,cùm fuerit expulsum,erat imputrida, in ægris uerò putrida. Neque hic negare potes Galenum de hypostasis materia sermonem non habuisse, cùm clarum sit de excrementis sanguificationis loqui(quæ excrementa sunt, quia sanguinis formam non habuerunt.) & asserere idem met excrementum,si retinetur, putrescere,ac postea subsidere: at sedimentum excrementum est sanguificationis, ut probauimus.

Tertiò, nescio qua fronte negas hoc idem manifestari à Galeno, ca. 14. illius. 2. etiã te nolente ubi reddens febrium circuitus causam, concludit fieri ratione partis affectæ, in qua aut excrementa generantur, & cùm nõ expellantur, putrescunt. aut ratione fluxionis, ut quan do cætera membra mittunt ad ipsam, aut attrahit, aut suscipit superfluitates. illudque probat exemplo morborum, vt plurimum infestantium, sensibusque magis occurrentium (cùm omnis doctrina iubente Aristotele sit à quo quis facilius addiscit) vt vẽtriculi, & optalmiæ. prima tamen intentio est de febribus. superfluitas autem febrem generans, est superfluitas, & excrementum sanguificationis: cùm in sanguinem verti nequiuerit, quantitate, aut qualitate peccante, quæ cum expulsa non fuerit, putredinem acquisiuit (vt Galenus apertis verbis manifestat) posteaque in fundo urinæ resi det. ergo eadem materia, vt puta superfluitas: differentia verò est penes putredinem. quia in sanis putredinis est expers: in ægris verò putrida facta est. hoc etsi perspicuum est, pertinaciter negas.

Quartò examinas locum. 2. Prognost. vbi Galenus (vt tu ipse fateris) quantitatis sedimenti tam sanorum quàm ægrorum corporum causam tradens: illud alimentis tribuit, quia si modicè viuitur, exiguum habet vrina sedimentum: contrà verò, si copiosum alimẽtum assumitur, copiosum ac multum retinet vrina sedimen. Nam cùm natura tantum conficere nequeat: superfluitates excrementaque generantur multa: quæ postea, si expelluntur, multum, copiosumque faciunt se

dimentum

dimentum: si verò retinentur, putrescunt, febremque gignunt, cuius sedimen est multum: quia materia febris est multa, & si tenuiter cibetur, quia paucum est, quod non potuit sanguificari, & ex illo maior pars resoluitur per insensibilem transpirationem, paucum generatur excrementum: quod si retinetur, putrescit, paucũque est cineritium, & sedimentum in febre genitum. Itaque dicebat Galenus: Quoties morbus idest febris (cùm de morbis loquatur febriculosis, vt in fine Com. declarat) ex materia cruda generatur, copiosum facit sedimentum. si verò ex materia biliosa, aut paucum, aut nullum: quia maior pars resoluitur per insensibilem transpirationem. Ergo, si sedimentum est multum, vel paucum, quia multa vel pauca generatur superfluitas, & hæc ratione multi vel pauci cibi assumpti: & morbus multum vel paucum sedimen habet, iuxta superfluitatis in coctione alimenti & sanguificationis genitæ multitudinem, & paucitatem, quæ si non expellitur, putrescit: clarum est eandem esse materiam vtriusque sedimenti, vt puta superfluitas excrementumque in sanguificatione genitum, versionem in sanguinẽ fugiens, quod putrescens febrem procreat, cuius sedimen est multum uel paucum, proportione quantitatis excrementi, & superfluitatis. quod neque tu abnegas (repugnantiam non uidens) in principio folij. 31. idque contra præceptorem tuum, qui numquam eiusdem esse speciei contẽdebat propria quæstione. At, si contingerit quandoque sanguinem verum & perfectum putrescere: tunc (vt dixi) sedimenta diuersæ erunt speciei. Ratio verò ea,

quod

quod putredine uariet, nulla est, ut suprà probauimus. Neq; de oībus morbis (vt tu putas) loquor: sed de morbis febriculosis, quemadmodum Galenus loco citato. 2. Prognost. 26. Hoc idem fatetur Galenus primo de crisibus. 12. Qui ex otio, & repletione febricitant; & pueri, si volunt pristinam recuperare sanitatem: oportet multum sedimenti excerni, cùm plurimum excrementosi humoris coaceruauerint: qui retentus cùm fuerit, putredinem acquisiuit.

Præterea concedens (à veritate tandem coactus) eādem esse materiam, asseris eam, quæ putredini subest, sedimentum non dici: sed verè materiam crudam appellari, cùm sedimentum dicatur, quando in vrina subsidet. Nos verò dicimus, differentiam hanc nullius esse momenti: cùm sit penes dici, non penes esse. sufficiat eandem esse materiam, quòd sedimentum postea appelletur in vrina. hæc est differentia nominis, & non rei: at de nominibus nulla est adhibenda cura, vt Galenus toties. Nec putredo uariat speciem, vt credis, & malè.

Qui verò diaria laborant, eò magis sedimentum retinebunt eiusdem speciei: cùm superfluitas sit alimenti non putrefacti. ita dicimus de morbis reliquis omnibus: qui ex superfluitate & excremento ortum habent imputrido, modò ratione excrementorum sanguificationis generentur.

Ad dubitationem autem, quomodo sedimenta eiusdem speciei esse potuerint, si alterum in sanis est pars alimenti, quod sanguificationem refugit: alterum verò in ægris pars humoris putridi: respondi sedimentū in ægris

esse, quod præteritis diebus ob sui ineptitudinem sanguificari nequiuit, posteaq; retentũ putredinẽ acquisiuit, ac febrẽ peperit. Hãc respõsionem impugnãs, dixistĩ primò, nõ semp sedimentũ in ægris partẽ esse superfluitatis, et excremẽti putrefacti: sed quãdoq; fieri posse, ut sanguis uerus putrescat, sedimenque deinde faciat. Quòd si uerba in fine opusculi posita considerasses: ista nõ proferres. dixi enim, quãdo sanguis verus putrescit, sedimenta esse diuersę speciei: ut intẽtio nostra sit, non semper, & perpetuò sedimenta febrium eiusdem esse speciei: ut malè tu, & præceptor tuus, qui continuò & semper esse diuersæ speciei contendebat. at si alij humores a sanguine uero putrescunt, cùm excremẽta sint sanguificationis, qui putredinem acquisiuerint: eiusdẽ sunt speciei. Falsum autem est, & à Galeni mente, ac veritate ipsa maximè alienum, in sanguine uero & corporis sani actu quatuor esse humores. nec quas citas auctoritates, opinioni tuæ fauent: ut in alia q̃stione patefecimus. Neque falsum est, ut opinaris, utramque bĩlim, & pituitam, mistas esse cum ea alimenti parte; quæ ueram sanguificationẽ refugit. etenim, ante quàm sanguis perfectionem ultimam recipiat in hepatis gibbo: omnes in eo sunt humores: pręsefert tamen dominium uel pituitæ, uel flauæ, aut atræ bilis, quia excrementa sunt, cùm ob eorum naturam sanguinis uerus fieri nequiuerint: tenduntque postea per uenas: &, si non expelluntur, putrescunt. Sed obijcies, si bilis vtraque (ut suprà dixi) generatur in hepatis concauo & corpore; materia uerò sedimẽti in hepatis parte gibba:

ba:quomodo iterum in ultima sanguinis perfectione generabitur? Dico sanguinem defecari à partibus crassis in concauo: à partibus uerò tenuioribus defecari in parte gibba: licet pars illa insanguificata cū sanguine tendat per uenas, cōmodiorem uiam non habens. quamobrem pars illa omnes quatuor humores habet. Confirmat hæc Galenus. 5. de vsu par. 6. vbi ait quandam bilis portionem per uenas tendere, quæ urinam colorat. Deinde, eam responsionem impugnas per Galeni uerba: qui. 1. de crisibus uocat eam alimenti partem, quæ versionem in sanguinem fugit, humorem crudum & inconfectum. itaq; (infers) si ea alimenti portio humor crudus & inconfectus appellatur, bilis flaua & atra intra uasa putrescens, eiusdem speciei non erunt; cùm humores crudi non sint, sed adusti potius. utraque enim ex sanguine adusto generatur: ut. 4. sanitatis tuendæ. imo, quòd magis, si pars illa alimenti in sanguinem uerti nequiuit: quomodo in flauam uel atram conuertetur? nullo igitur pacto concludit eiusdem esse speciei, cùm non ex eadem materia sint. Hic non alienum, quæso, est cognoscere, in quot incideris errores. Ac primò Galenum uon intelligis. etenim humorem crudum, & inconfectum uocauit Galenus, eam alimenti portionem, quæ in sanguinem uerti nequiuit, respectu sanguinis perfecti, qui ueram coctionem ac perfectionem recepit. quemadmodum utraque bilis crudi humores dicentur, facta ad sanguinem uerum comparatione. siquidem ob materiæ ineptitudinem, sanguinis ueram coctionem uersionemque non receperunt.

non ne Hippocrates & Galenus utramque bilim. 1. Epid. com. 1. test. 24. humorem crudum appellarunt? si ergo Hippocrates & Galenus crudos eos humores appellant: minime absurdum erit, si crudi humores dicentur. Deinde ostendis te penitus humorum generationem ignorare. etenim haudquaque uerum est, utrãque bilim semper ex sanguine adusto generari, ut male opinaris: nisi, cùm sanguis uerus & perfectus putrescit, uel inflãmatur: cuius pars tenuis uertitur in flauam bilim; crassa uerò in humorem melancholicum: vt. 2. de crisibus. 12. Sed generantur in hepate, antequam sanguis perficiatur: uel in ipsa perfectione. & hoc, ratione materiæ. quodlibet enim ex quatuor componitur elemẽtis, ut in quatuor resolui debeat partes: quæ igni, aeri, aquæ, & terræ, respondeant: ut bilis flaua, atra, sanguis, & pituita. ratione quoque efficientis. nam calor moderatus plurimum sanguinem ex materia sibi familiari generat: immoderatus uerò paucum. aduritur etenim materia: multumque remanet insanguificatum, quod fit uel biliosa, uel atra biliosa materia: paucaque in sanguinem uertitur. hoc patefacit Galenus. 4. de vsu part. ubi ait sanguinem defecari à bili, & humore melancholico in hepate: ex quo purus sursum ascendit. Non ergo utraque bilis semper generatur post sanguinis confectionem: ut arbitraris. cùm ergo ex eadem materia generantur biliosa materia, & reliqua: eiusdem sunt speciei sedimẽta, ac tantùm putredine uariant. Neque cap. 4. 4. sanitatis tuendæ, intelligis. inquit enim Galenus utramque bilim fieri ex sanguine

guine, ideſt ex materia ſanguinis: qui ſanguis etiam dicitur, cùm rudimentum ſanguinis acceperit, & colorem: non ex ſanguine uero, & perfecto, qui in gibba hepatis fit: niſi rarò, cùm aduritur, & putreſcit: tunc ſedimenta eiuſdem ſpeciei non erunt, ut toties diximus.

Ridiculum etiam putas exemplum traditum de ſudore, & vrina: vt ſicut in his eadem eſt materia, differuntque tantùm loco, & materiæ tenuitate: ita eadem ſit materia vtriuſque ſedimenti: tātumque putredine diſcrepent. Ac primò aſſeris me arbitrari ſemper ſedimenti materiam putredinis participem eſſe: quod falſum probaſti. At ea in re æquè deciperis, ac in reliquis, cùm de ægris tantùm febre putrida laborantibus loquar, quomodo Galenus. 2. Prognoſt. 26. Secundò, exemplum damnas ſudoris, quòd nullum habeat cum hypoſtaſis materia ſimilitudinem. quippe cùm ſudor, & vrina eandem habeant materiam, eundemque generationis modum: vt. 10. ſimpl. Galenus: materiam uerò hypoſtaſis eundem generationis modum habere non credis; neque materiam eandem: Dicimus exemplum rem maximè manifeſtare, cùm in materia ac generationis modo conueniant. quæ autem contradicis, nulla ratione firmantur. etenim vtraque ſedimenta ex alimēto inſanguificato conſtant: putredine tantùm differūt, quæ non uariat ſpeciem, cùm accidens ſit, vt ſuprà probauimus. imo exemplum illud rem magis firmat, ſiquidem materia, quæ per venas meat, ex qua fit poſtea ſudor, aliam accepit formam, quæ ſeroſum excrementū dicebatur: cùm magis elaboretur, & à natura concoquatur.

quatur cùm aliam acceperit formã: aliam habere materiam consequens est. propria enim forma propriam requirit materiam: vt rei veritas est, nec ipse supra negasti. Veruntamen Galenus sudorem & vrinam eandem habere materiam asserit. At, si hæc eandem habent materiam, quæ diuersam formam habent: quanto magis sedimenta, quæ eandem formam possident, eandem habere materiam dicemus? Tui erroris causa fuit, quod Galeni mentem minimè percepisti. etenim putasti per alimentum. 1. Prognost. alimentum intelligi, nondum habens sanguinis formam. neque recoluisti sanguinem etiam in hepate, priusquàm perfectam fuerit sanguinis formam consequutus, alimentum dici.

Posita extrema manu longo sermoni, quẽ de materia habuisti; probare conaris, sedimenta eundem non habere efficientem: cùm in ægrorum sedimento & calor conuertat præter naturam, ut efficiens, & calor naturalis. O nouam philosophiam, cuius fastigium te attigisse iactas. Nam unius effectus, quatenus unus est, duas facis causas efficientes, æquè primas: &, quod magis est, contrarias: quarum una corrumpat, altera generet.

Deinde, si tu ipse fateris omnium actionum naturalium, naturam ipsam opificem esse, & efficientẽ, nec alterius auxilio indigere: quomodo in eadem pagina asseris, tecum pugnans, aliã causam cõcurrere in eius actione, nempe calorem præter naturam?

Præterea sedimentum est pars crassa excrementi, ac ueluti eius cineritium, quam postquam natura superauit

perauit,& cõcoxit,cũ fini,hoc est nutritioni sit ineptũ, nec possit per halitũ expelli,excernit per insignes meatus,& vrinam. Si est pars concocta, seperata, & expulsa à natura(vt Galenus.4.Aphor.22.& alibi sexcenties)quomodo(vt asseris)hoc etiam à calore præter naturam fit? Nam huius actio est tantùm corrumpere: sicut illius concoquere,segregare,& expellere. An veluti nouus philosophus,nullum ponis discrimen inter corruptionem,& concoctionem?

Neque videris.Com.48.2.Apho.totque à te citata Galeni loca,intelligere. Non enim Galenus(vt tu quidem somnias)calorem præter naturam,vt efficientem, ad succorum coctionem concurrere sentit: sed inquit alterationem in nostris corporibus tripliciter,iuxta materias alterandas,alterari,vt tota varietas sit à materia, eadem facultate, & alterante, & concoquente. etenim aut materia erit familiaris,& perfecta fiet alteratio à natura,totam materiam assimilante. aut penitus præter naturam: quæ nullo pacto naturæ gratiã recipiet,nec coctionem,siue perfectionem. sed relicta à natura maximè fiet olida. aut neq; penitus contraria, neque omnino familiaris erit: & aliquam naturæ gratiam recipiet,ac media inter hos gradus fiet.hanc natura nequit ad sui substantiam assimilare: sed dat, quam potest,similitudinem, vt colorem, & figuram: quam demum expellit nutritioni ineptam. Adiungamus exemplum in arte factis. artifex quærit Cæsaris statuã efformare. lignum accipit nodosum,ex quo nullo pacto

quatur.cùm aliam acceperit formã: aliam habere materiam consequens est. propria enim forma propriam requirit materiam: vt rei veritas est, nec ipse supra negasti. Veruntamen Galenus sudorem & vrinam eandem habere materiam asserit. At, si hæc eandem habent materiam, quæ diuersam formam habent: quanto magis sedimenta, quæ eandem formam possident, eandem habere materiam dicemus? Tui erroris causa fuit, quod Galeni mentem minimè percepisti. etenim putasti per alimentum. 1. Prognost. alimentum intelligi, nondum habens sanguinis formam. neque recoluisti sanguinem etiam in hepate, priusquàm perfectam fuerit sanguinis formam consequutus, alimentum dici.

Posita extrema manu longo sermoni, quę de materia habuisti; probare conaris, sedimenta eundem non habere efficientem: cùm in ægrorum sedimento & calor conuertat præter naturam, ut efficiens, & calor naturalis. O nouam philosophiam, cuius fastigium te attigisse iactas. Nam unius effectus, quatenus unus est, duas facis causas efficientes, æquè primas: &, quod magis est, contrarias: quarum una corrumpat, altera generet.

Deinde, si tu ipse fateris omnium actionum naturalium, naturam ipsam opificem esse, & efficientē, nec alterius auxilio indigere: quomodo in eadem pagina asseris, tecum pugnans, aliã causam cõcurrere in eius actione, nempe calorem præter naturam?

Præterea sedimentum est pars crassa excrementi, ac ueluti eius cineritium, quam postquam natura superauit

perauit,& cõcoxit,cũ fini,hoc est nutritioni sit ineptũ, nec possit per halitũ expelli,excernit per insignes meatus,& vrinam. Si est pars concocta, seperata, & expulsa à natura(vt Galenus.4.Aphor.22.& alibi sexcenties)quomodo(vt asseris)hoc etiam à calore præter naturam fit? Nam huius actio est tantùm corrumpere: sicut illius concoquere,segregare,& expellere. An veluti nouus philosophus,nullum ponis discrimen inter corruptionem,& concoctionem?

Neque videris.Com.48.2.Apho.totque à te citata Galeni loca,intelligere. Non enim Galenus(vt tu quidem somnias)calorem præter naturam,vt efficientem, ad succorum coctionem concurrere sentit: sed inquit alterationem in nostris corporibus tripliciter,iuxta materias alterandas,alterari,vt tota varietas sit à materia, eadem facultate, & alterante, & concoquente. etenim aut materia erit familiaris,& perfecta fiet alteratio à natura,totam materiam assimilante. aut penitus præter naturam: quæ nullo pacto naturæ gratiã recipiet,nec coctionem,siue perfectionem. sed relicta à natura maximè fiet olida. aut neq; penitus contraria, neque omnino familiaris erit: & aliquam naturæ gratiam recipiet,ac media inter hos gradus fiet.hanc natura nequit ad sui substantiam assimilare: sed dat, quam potest,similitudinem, vt colorem, & figuram: quam demum expellit nutritioni ineptam. Adiungamus exemplum in arte factis. artifex quærit Cæsaris statuã efformare. lignum accipit nodosum,ex quo nullo pacto

forma poterit educi. aliud accipit non adeo nodosum, educit formam, verùm imperfectam, repugnante nodositate. aliud accipit, & perfectam statuam efformat. illa nodositas, vt efficiens, non concurrit formæ educendæ: sed vt repugnans potius repugnantia, quæ ab ipsa materia est. Ita in alteratione, & materia sedimenti, natura ipsa est, quæ alterat: verùm si materia familiaris reperitur, eam in substantiam aliti uertit, qui finis est intentus. si verò penitus præter naturam: nullo pacto à natura superatur. si verò medio modo, alteratur quidem: sed penitus à natura non assimilatur: accipit tamen quem potest & colorem, & figuram; eam postea expellit nutritioni ineptam. quod tam in materia fit putri, quàm imputri: etsi in putri repugnantia sit maior. hoc apertissimis verbis ostendit Galenus. 1. Prognost. vlt. asserens naturam nequiuisse pus in substantiam vertere: quia habebat quid pręter naturam admistum. hoc idem. 1. de differ. feb. 7. in fine. Repugnantia ergo erat in pure, vt materia: non in efficiente, alterante, & concoquente: quę est ipsa natura, & calor naturalis: non pręter naturam, nisi per accidens: quatenus calor ille pręter naturam, notas putredinis ducit in sedimen, quibus repugnat naturali calori, ne prorsus cõuertatur in venarũ substãtiã: attamẽ calor naturalis is est, qui sedimẽto tribuit, quòd sit albũ, lene, mediocre, ęquale, & quàm minimè fœtidũ.

Sed obijcis. si causa pręter naturam in vtrisque sedimentis concurrens, non est efficiens: aut erit materia

alimenti, aut forma. non erit materia: cùm alimenta, quatenus alimenta, valde familiaria nostris sint corporibus: & minimè contraria, nec præter naturam: cum sint quidquid nostrum corpus augere possit. vt Galenus primo &.5. simplic. medicament. facult. neque vt forma, quia forma alimentorum, quatenus alimenta sunt, à proprio calore, & non præter naturam introducitur. Tantùm ne mihi otij est, vt ei respondeam, qui neque, quæ dixerit, recordetur, neque quæ scripserit, intelligat. nonne, suprà vndecima pagina, hæc eadem dubitatio mota fuit? quocirca dicamus, vt supra quoque diximus: repugnantiam illam, & causam præter naturam, propter quam materia hypostasis, cùm fuerit inepta nutritioni, in sanguinem non vertitur: esse à propria forma in materia. vt repugnantia, totaque cā præter naturā sit à materia formata tali forma: propter quam non potuit fieri sanguis, sed excrementum. nec repugnantia est in toto alimento: sed in parte illa, quæ sanguificari nequiuit, vel ratione sua, cùm alimentum non fuerit prorsus alimentum, vel ratione facultatis læsæ. Neque cogor asserere causam hanc præter naturam concurrere, vt efficiens: cùm materia & efficiens non coincidant. 2. Physi. 70. sed, vt materia tali forma formata, & inepta.

Quod verò in mea oratione repugnantiam reprehendis, id euenit ex interpretatione tua, vel potius deprauatione. At in præceptore tuo rerum ipsarum repugnantiam non vides. lege ipsum capite. 2. de sedimento:

in primis verbis. verùm, quoniam hæc, tam ægris corporibus, quàm sanis existentibus, generantur: eundem habent generationis modum, eandemque causam efficientem ac materialem, & locum, ubi generentur. Ecce hoc in loco dixit sedimenta & sanorum, & ægrorum easdem habere causas, & modum generationis. In tertiò verò capite contrarium contendit: cùm differre materia & causa efficiente asserat: ac proinde diuersæ esse speciei. Et paulò ante finem huius tertij capitis, inquit: *Verum dissident quoque hæc sedimenta. nam illud est pars redundantium succorum intra vasa: quanquam in efficiente communicent. nam vtriusque natura seu calor naturalis vasorum efficiens causa existit, nullam ferente opem extraneo, ac præter naturam calore: cùm in eius generatione actio eius non ingrediatur.* Videte, quæso, studiosi, vter nostrum sibi contradicat: cùm modò velit in generatione sedimenti ægrorũ, causam concurrere præter naturam: modò abneget, sed vtraque eundem habere efficientem, calorem naturalem dumtaxat. Inficiaris præterea vtrisque sedimentis eandem esse formam, totoque cælo me errasse putas, cùm dixerim colorem esse formam sedimenti. idque duabus rationibus ostendere conaris. Prima, hypostasis est ens permanens, & substantia. color autem est accidens: & cùm sit accidens minimè substantialis forma esse poterit. etenim pars substantiæ est substantia. at forma est pars substantiæ. ergo forma est substantia. at color accidens cùm sit, forma substantialis non erit.

Altera,

Altera,non semper sedimenta habent eundem colorem sed diuersum. ergo non eandem formam habebunt. Hæ sunt tuæ breuibus comprehensæ rationes, quas multis ambagibus inuoluis.

Nos dicimus colorem, etsi non sit forma substantialis sedimenti: proprium tamen effectum esse ipsius formę vnà cùm alijs, quę ipsum comitantur: sicut est leuitas,mediocritas,consistentia, & reliqua, quę loco formę sunt: vt bene Alexander. 1. Meteor. Nam formę vltimę,sunt nobis ignotę. proprius autem effectus propriam arguit formam: cùm operatio formam ostendat. 1.de Gener.Cùm igitur utraque sedimenta eũdem habeant colorem, & reliqua,quę illud consequuntur: eandem quoque formam habebunt. Quòd si eãdem formam habent: eiusdem esse speciei quis inficiabitur? cùm hęc rem in specie constituat? licet autem colorem quandoque habeant diuersum: varietas illa erit secundum magis & minus,quod non variat speciẽ: & causam insequitur materialem, magis & minus assimilationi aptam, vnde colorem assequitur perfectum vel imperfectum,natura semper intendente,quod perfectius est.Itaque cùm eandem habeant materiam,eundemque efficientem, eandem quoque formam habere necesse est, atque adeò eundem finem retinere. Quę cùm ita sint, nunquid obstinatè in eo perstabis, vt defendas eiusdem non esse speciei? Concludamus deniq; cum Aristotele & Auerroe. 12.Meta.11. cuius materia, & efficiens est vnum, & forma vna, necessa-

riò erunt vnum: atque dicamus, cùm ſedimenta eaſdē habeant cauſas, materialem, efficientem, & formalem, vnum eſſe ſpecie. Quis verò abneget eundem non eſſe eis naturę finem? ſi naturę finis eſt tantum aſſimilare, ipſaque ſola efficiens cauſa eſt ſedimenti, vt la tè ſuprà confirmatum eſt. Etenim hypoſtaſis pars eſt craſſa excrementi à natura concocti, & ſuperati, vt ad ſubſtantiam conuerteret, ſed ineptum poſtea expellit, nec cauſa pręter naturam, vt efficiens, concurrit ad eius coctionem, vt praue ſentis; cùm calor naturalis dumtaxat concoquat, pręter naturam verò corrumpat. & ſedimentum eſt pars concocta, ſeperata, & expulſa. Itaque cùm eandem habeant materiam, eundemque efficientem, clarum eſt eundem obtinere generationis modum, ita ſentiente Galeno locis citatis, cū vtrumque excrementum ſit, quod in ſanguinem verti nequiuit, differens tantum putredine, retentione acquiſita. Idem quoque eſt vtriſque generationis locus, vt Galenus.2.de diff.feb.7.neque tu abnegas.

Maximo autem in errore me verſari contendis, qui dixerim, ambo ſedimenta idem ſignificare, nempe dominium naturęque victoriam ſupra repugnantem materiam. atque quàm pluribus perſuadere ſtudes hypoſtaſim non ſemper naturę dominium, ſed quandoque cruditatem, quandoque pernitiem arguere. Quod antea ſępe dixi, id nunc etiam repeto, tuę deceptionis cauſam eſſe, quòd nec mea, nec Galeni verba percipis. an ignoras uerbum aliquod ſimpliciter prolatum in

principalē significationē trahi? cùm dixi naturæ uictoriam significare: intellexi de uictoria laudabili, & bona. Præterea, cùm dixi naturæ uictoriam & dominium; naturæ actionem accepi in uniuersali significatione. hoc innuit Galenus. nam, postquam docuit excrementa ostendere coctionem, diuisit coctionem in bonam & malam. Itaque (ait) deiecta per aluum excrementa cruditatem & coctionē ostendunt. Adde uerba illa esse Galeni loco citato. 1. Epid. Iam (inquit) sicut in corporibus sanis coctionem indicant excrementa: ita in corporibus affectis indicabunt. Contra Galenum ergo sermo tuus dirigitur: non contra me. qua uerò fretus auctoritate asseris, non idem significare? si excrementa tam in sanis, quam ægris indicant coctionem, ut ait Galenus: ergo idem ostendunt: non coctionis modum, vt tu Galenum peruertens, falso pronuntias.

Illud quoque absurdum tibi uidetur, totum ferè sanguinem excrementum esse, siquando alios à sanguine humores per uenas meare contigerit. non enim quandoque: sed semper cum sanguine alios humores esse sentis, plurimosque citas Galeni locos: quos cum superiori quæstione soluerimus, neque tu aliquam afferas alicuius mouenti rationem, nolo in hoc tempus terere, sed lectores ad superiorem, quæstionem remitto.

Negas præterea sanguinem dici excrementosum, cùm in eo misti sunt alij humores. At Aristoteles, & Galenus sentiunt, nosque suprà probauimus, tu etiam concessisti, omnes humores à sanguine & dici, & esse

excrementa. si autem excrementa sunt, & cum sanguine miscentur: nonne sanguis excrementosus existet? An unquam tertium de sympto. causis cap. 2 legisti, quo in loco non tantum Galenus scriptum reliquit excrementa sanguinis quot sint: sed generationis etiā modum, ac causas, quosque affectus pariant? An tali doctore educatus propriam eius uocē ignoras? Vis dici sanguinem excrementosum, cùm cæteri humores mediocritatem excesserint. At, quod per se est tale, tale semper est, quacunque quantitate fuerit. si bilis per Aristotelem & Galenum, est excrementum sanguinis: semper erit excrementum, quacunque quantitate fuerit, siue multa, siue pauca, siue mediocri mensura. nam magis & minus non uariant speciem. Citas locum de multitudine. cap. 11. ubi quæ refers, nō repe riuntur: sed locus proprius est. 2. per loca cap. 3. qui tuam opinionem omnino destruit. Quando (inquit Galenus) humores alij à sanguine breuem aliquem excessum ceperint, dicitur etiam multitudo, & non cachochimia: sed multitudo cum appositione humoris infestantis, Itaque, si sanguis erit excrementosus, quando humores alij qualitate non peccauerint, sed propter breuem aliquem excessum: quanto magis, ita dicetur, si quantitate, aut qualitate molestent? Neque falsum erit corpora excrementosa parcissimè nutriri: cùm tan tùm sanguis uerus nutriat, qui paucus est: humores ue rò cæteri minimè: ut latius superiori quæstione demon strauimus. & cùm non nutriant, & in toto corpore abundauerint:

abundauerint: corpora parcissimè nutriuntur. quò fit ut ita affecti decolores uideantur. imo auctoritas à me citata. 10. sim. rem magis confirmat. loquitur enim Galenus de sanguine animalis secundum naturam se habentis: hoc est, cùm animal parum recedit ab optima temperie, quæ mente concipitur. natura enim semper, quod perfectius est, intendit. reliqua uerò corpora, quę multum deficiunt, uel excedunt ab illa, secundum naturam non sunt, sanosumque sanguinem habent, & excrementis refertum, uel bili, uel humore melancholico (iuxta corporis lapsum) uel pituita præter naturali. Me quoque exagitas, quod hoc à Farnelio acceperim. Non nego Farnelium hoc innuere: ego tamen & rationibus & auctoritatibus demonstraui, quod doctissimus Farnelius neglexerat. Sed cum de me hæc audeas, quid præceptori tuo faceres, qui quicquid typographis excudendum tradidit, ex alijs descripsit. nonne quæsitum de naturali spiritu à Farnelio ad verbum transcripsit, nulla ratione immutata, nedum non addita: ut cuiq; patebit, qui legerit caput. 10. & 11. libri 4. de naturali parte medicinæ. Quid dicam de uolumine illo, de medendis malis inscripto? nonne totum aliunde transcripsit? causas, & signa, & quid nominis, à doctissimo ac numquam satis laudato in arte medica uiro Fucsio: & remedia localia, quæ & ipse Aetio tribuit? nonne inscriptionem à Fucsio accepit, ut in fine epistolæ legitur, & alieno titulo extumescebat? non ne methodum curatiuam, reductionemque affectuum

ctuum ad proprium genus, à Camillo Thomaceo Rauennate: alijsque auctoribus ne uerbo quidem transpo sito? ex quo dapibus alienis suas cœnas instruxit: ut propediem ostendam, si crabrones irritare perrexerit. cuius furta si patefiêt, implumis profectò relinquetur: risũque mouerit, uelut Aesopi cornicula furtiuis nudata plumis. si qs aũt iã uelit hoc dep̄hẽdere, legat primã eius editionẽ quã Neapoli, typis æneis ĩprimi curauit.

Insectaris etiam de causa coniuncta; ac primo Auicennæ me tribuere asseris, quæ in eius monumentis non leguntur: atque contendis in Auicenna, 2. Fen. 1. doct. 2. cap. 1. vbi de causis sermonem habeat, non reperiri, causam coniunctam eam esse, qua posita ponitur, & remota remouetur. At oculi tibi cæcutiunt. non ne Auicennas ait, causam coniunctam esse, quæ immediatè morbum præcedit. deinde tradens causæ huius exemplum, inquit, vt putredo febris, & humor, qui ad foramen descendit obstructionis. An ne scis putredinem eße formam putridę febris? cùm posita & remota putredine in febre: ponatur, statim & remoueatur febris, vt putrida est? non ne Aristoteles. 7. Meta. inquit, compositum corrumpi ad formę corruptionem: & generari ad formę generationem. Si ergo forma est actus, & causa ea, qua posita & perempta, perimitur, & ponitur, compositũ: & putredo est forma, quam putredinem immediatam coniunctamque causam appellat Auicennas: qua fronte ex Auicennæ dictis sumi negas, coniunctam causam esse, qua

posita

posita ponitur: & remota remouetur febris? Neque nunc locus est inquirendi, vtrum sibi in hoc Auicennas constet: cùm mihi propositum modò sit, me ipsum à calumnia uindicare. At esto, hæc numquam Auicennas dixerit: nõ ne ea Auerrois uerba sunt, qui Auicennæ distinctionẽ interpretatur, super cãticũ. Com. 176. & 177. nõ ergo male dicebã, Arabũ esse definitionẽ.

In eo quoque me labi existimas, quòd scripserim putridos uapores causam esse coniunctam, & immediatam, non (ut alij sentiunt) humores putrefactos. idque hac ratione, contendis: Vapores ipsi partes sunt humorum. cùm autem uapores partes sint, ijdem erũt, qui humores. ex quo infers humores putridos causam esse antecedentẽ, & coniunctã febriũ. An nescis partẽ, quatenus pars est, aliud esse à toto? si igitur vapores partes sunt humorum: humores non sunt. quandoquidem paries est pars domus, at domus non dicitur: cùm totũ res alia sit à partibus. 3. de Anima. 5. Auer. alijsque in locis sexcentis. Neque semper consequitur, ut si putridi humores sint in corpore: febris existat. Nam in bubone sunt humores putridi: non tamen assidua febris, nisi quando sunt in generatione, & putrefiunt: & tunc ratione uaporum. at postquam putrefacti sunt, febris cessat: dicente Hippocrate, dum pus conficitur dolor & febris. uapores enim, dum putrefiunt, cor petentes, causæ sunt febrium. immediata ergo causa coniuncta sunt vapores ipsi: non humores. Nec minus falleris, cùm me errasse putas, quòd

dixerim definitionem, quam Auicennas causæ coniunctæ tribuit, propriam esse continentis: cùm hæc definitionem morbi ingrediatur, causa uerò coniuncta non semper. Etenim, etsi definitio illa habetur in libro, qui introductorius & finitiones medicæ inscribitur: hic tamen Galeni germanus non est, nec alibi in Galeni libris reperitur.

Vt autem ea, quæ diximus, facilius & intelligantur, & confirmentur, quædam pręmittenda sunt. Ac primùm tria Galenum posuisse causarum genera: primitiuam, antecedentem, & contētiuam. 6. Epid. Com. 3. test. 20. & 1. de causis puls. 1. vt taceam sexcenties causæ continentis mētionem fecisse: vt de differ. symp. 5. & 7. 7. Apho. 30. 10. Meth. 10. 2. de natura hum. Deinde, causam continentem, causam esse formalem: hoc patefecit Galenus 1. de causis pul. dicens, tria esse causarum genera, non in pulsibus modo; sed etiam in omnibus alijs rebus: continentem, antecedentem, & procatarthicam. sed prima & pręcipua est causa continens: quę ideo continens dicitur, quia eorum essentiam contineat. ut sit ipsa forma, quæ causa est, qua res est in actu. & 7. Apho. 30. inquit. Est autem huius pituitę causa contentiua flatuosus spiritus, dum humori commiscetur, uehementem habens motum, & inęqualem. ita vt & ipse disrumpatur, & pituitam frangat in multas partes, & paruas. talis uerò motus ipsius est causa, & propria natura: & nonnumquā multitudo caloris. Quo in loco posuit causam materia-

lem,

lem, pituitam: formalem, ſpiritum flatuoſum, quo poſito ponitur ſpuma, & remoto remouetur. & iſta cauſa dicitur contentiua. poſuit etiam cauſam efficientē, nempe motum ſiue calorem agitantem pituitam. & 1. de ſymp. cauſis. 5. torporis. cauſas declarans, inquit, At continens huius ſymptomatis cauſa eſt talis quiſpiam in neruo affectus: cuius occaſione à principio ad ipſum virtus tranſmitti prohibetur. porrò autem quia meatuum aliquem neruus habet: quales qui ad oculum manifeſtè deſcendit, habere cernitur, uel ex obſtructione, uel compreſſione: ſeu aliter ex conſtipatione, uel frigore. Inquit obſtructionem, uel compreſſionem, uel frigiditatem, uel conſtipationem, eſſe cauſam con tentiuam: quę qualitates ſunt, & formæ. Et cap. 7. in appetentiæ (inquit) cauſa cõtinẽs eſt, caliditas: quæ eſt qualitas & forma: non autem dixit, eſt materia calida.

Non ne eſſentia & forma ſanitatis partium ſimilarium, eſt commenſuratio in quatuor qualitatibus: & partium inſtrumentalium, optima ſimilarium conſtitutio? ex quibus eorum ſanitatem cognoſci præcipit Galenus. 2. artis med. Forma ergo & eſſentia morbi ſimilarium, eſt exceſſus & immoderantia in quatuor qualitatibus: ſicut partium inſtrumentalium, mala compoſitionis genera. nam, cuius eſt ſanitas, eiuſdem eſt morbus, ut primo de morborum differ. 2. Ex quibus liquet cauſam formalem, eſſentialemque morborum ſimilarium, eſſe caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & ſiccitatem: ſicut inſtrumentalium, malam quantita

quantitatem, situm, figuram, vnionem, numerũ. Hinc forsan Galenus. 1. Epid. & 1. de differ. feb: innuebat Hippocratem diuisisse febrem penes formam, & essentiam febris cõsistere in calore præter naturam: quia calor forma est febris. causa igitur continens est causa formalis. His concessis, uerum est omni ex parte, causam continẽtem ingredi definitionem morbi: quia eius est essentia, sine qua res non est in actu: sicut ratio, qua hominis essentia constituitur, ingreditur definitionem hominis. at causa coniuncta non semper. etenim, cùm causa sit materialis, & antecedens (vt tu met fateris, neque nos negamus) non semper est cum morbo. nam potest morbus absque materia (ut toties Galenus scripsit, & rei veritas est) corpus infestare. Et cùm causa contentiua sit causa formalis: & forma sit causa essendi: uera erit definitio, quod causa continens est, qua posita & remota, remouetur, & ponitur affectus. quia formæ positio est causa essendi, & non essendi ipsius remotio. tu verò ista negas, nouam philosophiam introducens, causam continentem ignorans, & cum coniuncta confundens. Neque verum est, quod asseris, idem esse apud Galenum causam coniunctam, & continentem: cùm causa coniuncta sit causa antecedens: vt tu fateris ad Galeni mentem. at causa continens est causa formalis: vt probauimus locis citatis. ex quo prima tua Hypothesis posita absque ratione aliqua, falsa est. & si primo de symp. causis interpres coniunctam malè vertit. nam synectichi sonat latinè, continens: vt

infra,

infrà,cap.5.& .7.vertit. Neque propterea dicendũ. ex aliorum mente Galenum loquutum in tot locis, vt male arbitraris deceptus ex libro contra Iulianum.etenim ad hominem loquitur contra Archigenem & Iulianum, omnibus in rebus causam continentem ponentes, quam efficientem causam esse dicebant, ut innuere uidetur Galenus.2. de natura humana. quamobrẽ negabat dari eo modo, quo ipsi dicebant. primo uerò de causis pulsuum, & .6. Epid.& alibi, ex propria mente,non aliena loquitur, ut eius uerba ostendunt.

Nec aliquid concludit ratio, quam affers: causam dici,dum facit. ex.1.de locis affectis.1. nam de causis loquitur efficientibus,quæ dum faciunt,causæ efficientes dicuntur: quia dant principium essendi. uerũ ista causa contentiua, non differt à morbo, quia est forma morbi,qua morbus habet esse.sicut rationale nõ differt ab homine;quatenus est forma substãtialis hominis.sed eo posito ponitur, & remoto remouetur. Nec,quia à morbo non discrepat, non erit dicenda causa: cùm causa formalis det esse.est enim prima omniam causarum, quatenus dat esse.vt.3.Metho.3. Galenus. quin etiam morbum causam appellauit, vt. 3. artis med. 34. dicens, quam quidem & ipsam morbi causam dicimus esse. & primo de differentijs morborum cap.1.cùm inquit,morbus autem, aut constitutio præter naturam: aut causa ob quam vitiata est actio.quo in loco per causam, formalem causam intelligit, non efficientem: quia tunc se ipsum efficeret. & de sympto.differ. morbus

bus est constitutio præter naturam: aut uitiatæ actionis causa. quamobrem dicebat. 2. de natura humana dogmaticorum opinionem destruens: Prauum est morbi repletionem causam esse continentem. nam morbus ipse affectio quædam est in animantis corpore, primo actionem lædens: at repletio primo quidem actionem non lædit. æquè ac si diceret, repletio non est causa continens: quia hæc primò actionem lædit: & non differt à morbo. at repletio actionem primò non lædit, ergo nõ potest esse causa continens. Cùm ergo causa continens sit ipsa causa formalis, & causa coniuncta causa antecedens, & materialis: verum erit omnino, quod diximus, in omni febre, & morbo poni debere causam continentem (etenim in omni febre causa est formalis, dicẽte Galeno. 1. de causis puls. non in pulsibus modò, sed etiam in omnibus alijs. ergo in omnibus morbis est causa continens) coniunctam verò idest antecedentem nõ perpetuò ponendam. fieri siquidem potest febrem aliquam ex causa materiali ortum non habere, vt hecticæ febres: at in putridis semper, cùm ex putrida dependeant materia, quæ antecedens dicitur. Et, cùm verum sit, vt probauimus, humores putridos causam esse antecedentem febris, & non coniunctam (de febre loquor putrida, non de pestilentiali putrida) vera erit responsio mea, sedimentum esse partem humorum putridorum actu: qui causa antecedens dicuntur, & non causæ coniunctæ, hoc est immediatæ, quæ uapores ipsi sunt. siquidem sedimentum cineritium est, & pars crassa humorum

morum actu putridorum. Nec malè sensi dicens, causam contentiuam ignorari: quia morbi, vt plurimũ, nominantur nomine causæ contentiuæ. Nonne Galenus vocat febrem intemperiem calidam, & quandoque calorem præter naturam, ut. 1. de diffe. morborum: qui causa est formalis ipsius? nonne vocauit stuporem 2. de locis affect. frigiditatem: quæ frigiditas causa est stuporis formalis? vt. 1. de differ. sympto. cap. 5. nonne dixit obstructionem esse morbum in formatione? & asperitatem, & leuitatem morbos esse. quæ omnia causæ sunt formales morborum? multique alij affectus sub nomine causę appellantur, quos breuitatis causa taceo? est enim morbus dispositio præter naturam primò lędẽs actionem. at ille causę sunt formales malæ dispositionis; cùm per obstructionẽ corporis dispositio vitiatur.

Deuenis tandem ad id, quod probaui rationibus propè demonstratiuis: Sedimentum in febribus intermittẽtibus partem esse humorum putridorum, qui intrà putrescunt: non autem, vt alij sentiunt, extra venas: neque humorum imputridorum sub causa antecedente. Prima autem ratio mea fuit hęc: sedimentum febricitantium est pars humoris actu putridi: ita semper dicẽte Galeno: at causa antecedens minimè putrida est. ergo &c. tu verò respondens asseris, vbique locorum fateri Galenũ, sedimentum esse partem humorũ actu putridorum: quando intra vasa putrescunt. at quando extra uasa minimè, cùm nullibi hoc Galenus dixerit. pulchra quidem responsio, ac te digna. Si vbique loco

rum Galenus,ut tu fateris,inquit sedimentum in ægris esse partem humoris actu putridi: & nullibi humoris sub causa antecedente mentionem fecit: quomodo uis Galeni sensum explicare, cùm intra vasa putrescit: si in Galeni dictis hoc nõ reperitur: sed indeterminatè scripsit sedimentum in febribus partem esse,& veluti cineritium,humorum putridorum: vt.3.de præsag.ex pul. & alibi erat hoc declarandũ, quandoquidem, cùm cõtinuæ sint febres,& intermittẽtes: deque febribus continuis tantùm loquutus sit,vt tu refers: erit absque dubio Galenus mãcus, cùm ualde necessarium omiserit, scilicet sedimentum intermittentium, cuius erat pars humoris manifestare.Videant (quæso)studiosi, an hæc tua cauillatio Galeni dictis adhæreat. itaque cùm hæc tua interpretatio nulla sit: sanè argumentum meum firmissimum permanet. Secunda Ratio fuit: Sedimenta ostendunt coctionem humorum morbum facientium: vt Auicennas. 4. can. cap. 7. & Galenus.1.de differ.feb.at putridi humores morbũ faciunt.ergo &c. Tu verò concedendo sedimenta ostendere coctionem humorum morbum facientium,duos mihi tribuis errores. primum esse ais,cùm dixerim imputridos humores non facere morbum: sed facturos esse.quod indicio tuo falsum est: quandoquidem obstructionem faciunt: obstructio prohibitam transpirationem: hæc putredinem,quæ denique febrem gignit. ecce,inquis, humores imputridi obstructionis causa sunt, quę morbus est. Oblitus ne es eorum,quæ suprà, cùm de materia sedimentorum loquebamur

quebamur, dixi? per morbum febrem intelligi, vt Galenus & Hippocrates. 2. Prognost. siquidem in his potissimum urinas sedimentaque inspicimus, propria febriũ putridarum signa: vt. 1. ad Glauco. & . 1. de crisibus & cùm de febribus sermo sit, falsum omnino erit humores imputridos febrem facere putridam. quod clarum adeò est, vt nulla indigeat probatione. cùm autem febrẽ non faciant, coctionemque humorum febrem facientium ostendant, qui putridi humores erunt: necessariò sequitur, humorum putridorum sedimenta partes esse: non imputridorum, vt tu malè arbitraris. Addis, quod imputridi humores mediatè sunt causæ febrium, hoc est interposita obstructione, & prohibita transpiratione. At hoc idem uerba mea præ se ferebant, humores quippe imputridos facturos esse morbos. nam antequam putrescant, febrem non faciunt putridam: sed cùm putrescunt tantùm: ideò, facturi sunt, dicebam: quia diebus subsequentibus putrescent. Sed, si mediatè febrem facere concesserimus, omnia sex genera rerum præter naturalium etiam mediatè (si quantitate, vel qualitate excesserint) febrium esse causas necessariò dicemus: quippe alijs causis interiectis: quod tamen est absurdissimum. Alter, ut asseris, error est: cùm dixerim humores actu putridos uacuationem poscere: imputridos verò coctionem potius, & ventilationem. At in sole & luce ipsa caligas, cùm dictionem, quam apposui, non uideris. verba autem mea hæc sunt: Illi verò cum apti sint putre-

fieri, potiùs coctionem, idest magis requirunt, & uentilationem: quàm euacuationem, non negans etiam uacuatione indigere: quippe cùm quantitate excesserint, uacuationem desiderant. Sed primò concoquendi sunt, postea euacuandi, ita operante natura: ut. 4. Aphor. 22. & iubente Hippocrate. at nos naturam imitari debemus. Præterea verba mea ex Galeno sumpta sunt 3. artis med. 38. quem locum aut conniuentibus, aut suffusione laborantibus oculis perlegisti. Esto enim (inquit Galenus) si ita contigerit in humoribus putrescentibus accendi febrem: indicatio in huiusmodi est euacuatio, atque alteratio. hæc quidem, quæ putredinem finiat manentis substantiæ: euacuatio verò, quæ totam è corpore substantiam educat. sed dicta quidem alterationis species concoctio existit. ex quo loco habemus alterationem speciẽ esse concoctionis, Adhæc dixit, quòd humoribus putrescẽtibus, qui partim facti sunt, & partim futuri: humores facti putridi uacuationem poscũt, futuri verò concoctionem, idest alterationem. Atque hoc est, quòd. 11. Metho. innuit Galenus, quem locum parum intelligere videris. putas enim humores putrefactos indigere uentilatione. quod est falsum, siquidem de humoribus putrescentibus loquitur Galenus, qui partim sunt putridi, partim verò non: imputridi uentilatione indigent, putridi uacuationem desiderant. declarat hoc Galenus eo in loco, quem tu citas: ut hinc noscant studiosi, quàm à ueritate & Galeni doctrina deflectas: cuius verba sunt: Tanquam igitur in his corporibus,

ribus,quæ non uiuunt, at putrescunt: primum, quantum eorum iam computruit,separant: deinde eo, quod reliquum est,in frigidum aerem sublato: perspirationem moliuntur. ita vtique & putredinem, quæ in uiuis est orta, sanabimus,id scilicet quod iam corruptum est, omni ratione uacuantes: quod reliquum est,moderatis motibus,& refrigerante perspiratu, ad exactam symmetriam reducentes. Quod est(inquit) corruptū, indiget euacuatione: non autem quod corrumpitur: ut malè Galeno tribuis,exemplo ex edulijs sumpto, putre fieri incipientibus. Præterea, hoc pacto argumentaris. concoctio competit humoribus,qui apti sunt putrefieri: quod confirmas ex uerbis meis. sedimentum autem est materia quodam modo concocta: vt Galenus. 1.de differ.feb. sequitur, sedimentum partem esse humorum, qui concoquuntur. at isti humores apti sunt putrefieri: non actu putridi. ergo(concludis) eorum coctionem indicabunt, non humorum actu putridorum, præsertim cùm illi, & non actu putridi, in venis contineantur in febribus intermittentibus. Hic operę pretium est animaduertere,quàm logices peritus sis, qui argumētationem cōficias ex quatuor(ut aiunt) terminis. coctio etenim alia notione ponitur in propositione,& alia in assumptione. Nam in generatione sedimenti accipitur pro assimilatione, quodammodo facta, & uictoria naturæ in causam putridam. concoctio verò humorum imputridorum accipitur pro eorum alteratione,& reductione ad benignum, ne putrescant. vt Galenus.3.ar

tis med.&. 11. Method. quæ alteratio à natura fit, & quandoque artis auxilio. at illa fit à natura penitus. cùm ergo argumentum sit ex ambigua uoce, uana erit ea argumentatio, quam omnino rem demostrare putabas. Cæterum respondens ad rationem meam, dicis, humores imputridos facere febrem putridam. quod quantum sit à Galeno & ueritate alienum, iudicent studiosi: ne uidear omnes tuos errores colligere: qui plures sunt, quàm vt libello comprehendi possint.

Tertia ratio mea fuit; quòd hac eorum opinione Galeni sententia diminuta videretur. etenim. 1. de differ. feb. dixit sedimentum esse partem humoris putridi in febribus: nondum tamen diuiserat febres in continuas & intermittentes. quod tamen erat necessarium, si vera esset eorum opinio. & respondens inquis Galenum terminatè loquutum esse; cum de continuis febribus ageret, in quibus humores putrescunt intra uasa: non autem de intermittentibus. quę responsio omni ex parte falsa est. Nam, postquam discrimen posuit inter febres ex bubone, & ex putredine humorum, declarauitque diuersum generationis modum, ac exemplo stercoris columbarum confirmauit: cæpit tradere similitudinem puris quod in bubone cõtinetur, & quod in uenis & arterijs. hoc est pus febrium putridarum. at inter febres putridas etiam febres intermittentes connumerantur; non autem, vt tu putas, inter febres continuas, & intermittentes discrimen posuit. Quod verò de omnibus febribus putridis loquatur, nõ de continuis tantum,

tantum, vt putas, vel ex eo constat, quòd nunquam diui serat in. 1. libro febres putridas in continuas & intermittentes: quod tamen fieri oportuerat, si de sedimento tantum continuarum loquebatur. alioquin oratio uiri eloquentissimi confusa esset, atque adeo manca, & imperfecta: sed tractat omnes febres communiter, quas postea diuidit in. 2. libro. eoque magis, cùm nul libi apertè doceat, febrium intermittentium humores extra vasa putrescere, quod erat facillimum dictu. ex quibus percipitur omnium febrium sedimentum esse partem humoris putridi: non vt malè sentiebas. nam de febribus putridis loquens communiter, alibi saltem illud declarasset. tuum igitur erat locum ostendere. Hoc firmatur, quia sæpe uidimus in quaque febre tam continua, quàm intermittenti, naturam crisim facere perfectā, totamque materiam putridam, febrisque causam per vrinam expellere: quæ postea residet in fundo. ergo hypostasis erit pars humoris putridi facientis febrem tam in continua, quàm in intermittenti febre.

Cùm igitur in qualibet febre sedimentum sit humoris putridi, necessariò in omni febre humores intra uasa putrescunt: quod probaui, tum auctoritate, tum ratione: tu uerò obstinatione quadam opinionis repugnas, atque Galeni loca tua interpretatione peruertis. ac primo eum qui est in. 2. de crisibus. Vt autem veritas elucescat, subijciam Galeni uerba, quò studiosi uideant, vter nostrum ad eius mentem penetrauerit. Sed in hoc differt (inquit Galenus) quod in hac per totum corpus

bilis defertur: atque ideo uehemens fit rigor; bilisque superuenit, vomitus, vrinæque, ac sudores biliosi sunt, dictumque de his alibi est. in alijs verò adurentibus febribus, quæ nullam habent intermissionem; flauæ bilis, humorem in vasis vnà cum sanguine contineri ostendebamus. atque hæ ipsæ à tertianis differunt: quamuis eo, qui vtrunque facit morbum, humore cōmunicent, quòd, in his quidem intra uenas continetur: in illis verò, cùm vehementer moueatur, per singulas corporis partes disseminatur. quò fit, vt delationis impetu ipsa per se ipsam expurgetur. eadem causa est, cur febris ex sudoribus atque vomitibus finiatur. in adurentibus autem febribus singulæ accessiones ad infebricitationem non perueniunt: quoniam, qui earum causa est, humor non expurgatur, sed quando in his bilis vehementius agitatur, ac veluti efferuescit: cumque à natura inualescentè impellitur, tunc rigor superuenit, & febris soluitur. hęc Galenus. Ex quibus tria habemus. Primũ, rigoris causam esse humorem delatum per totum corpus, & sentientia loca. Alterum est, eundem humorem ardentem febrem facere, & tertianam exquisitam. postremum est continuam febrem & intermittentem hoc differre inter se; quòd in continuis humor continetur vnà cum sanguine intra uenas: in intermittentibus verò, propter vehementem humorum motum, expurgatur ex venis, ac defertur per singulas corporis partes. Quòd si idem humor utramque facit febrem, sed interse distantem,

quia

quia in continuis, & si moueatur per venas, tamen retinetur intra vasa: in intermittentibus verò propter vehementem eorum motum expurgatur ex venis: consequens est, vt materia in venis putrescat in omni febre. Primò, quia si idem humor, vt bilis putrida, ardentem facit febrem, & tertianam: differentiaque est tantùm, quòd in ardente retinetur, & in intermittente eijcitur: clarum est, quod antequam expurgaretur, erat putrida. Nam inquit eundem humorem expurgari: non retineri. sed humor putridus retinebatur intra venas. ergo humor putridus extra expellebatur. Deinde, quia si putredo est (sumo ea, quæ à te ponũtur) forma: & forma mutat totam substantiam, estque in febre ardente putridus intra venas, in intermittentibus verò imputridus, qui putrescit extra: non erit idẽ humor, quia putredo mutauit substantiam: ex quo est diuersus ab imputri, & differunt specie. Itaque, aut Galeno aduersaris, qui contrarium docuit: aut tecum ipse pugnas, si velis putredinẽ nõ variare speciẽ, cũ aliter senseris de materia loquens. Neq; verò dicendum est, Galenum in tam breui verborum ambitu, eodem verbo res duas significari uoluisse: vt alio pacto acceperit bilim in propositione, alio in assumptione: cùm dixerit eundem humorem vtrumque facere morbum: differre, quia in continuis retinetur intra venas: in intermittentibus expellitur: sed humor putridus continetur intra vasa: ergo putridus extra expellitur. si autẽ ex uenis expellitur putridus: in venis putredinem

nem acquisiuit. itaque perspicuum est, in febribus intermittentibus humores intra vasa putrescere: vt cuique Galeni seriem consideranti manifestum est. Citas Galenum. 2. de crisibus. 6. qui locus opinionem tuam euertit Nam(inquit Galenus) quæ ad infebricitationem deueniunt febres tertianæ, quartanę, & quotidianæ: eandem hypothesim cum continuis de quibus diximus, habent; uno solo differentes, quòd per uenas, vel per totum corpus in eis deferuntur humores. ecce, eosdem humores in continuis permeare per uenas: qui in intermittentibus deferuntur per totum corpus. deferuntur, inquit, & non putrescunt. Prętereà in continuis deferuntur humores putridi per venas: ergo ipsi deferuntur per totum corpus. at, cùm dico putridum, dico iam factum, non futurum. humores igitur cùm deferuntur, sunt putridi. nec dici potest eos putrescere extra venas, docente Galeno cap. 3. eundem humorem expurgari ex venis propter vehementem motum, qui defertur postea per singulas corporis partes. Itaque erant putridi, antequam expurgarentur.

Hoc idē. 2. de differ. feb. 1. Vbi etiam febrium diximus differentiam: quòd intermittentes (ita enim eas appello, quæ ad sensibilem infebricitationem perueniunt) ortum habent ab humore febrem generante, qui per omnes corporis partes suo motu defertur: in continuis autem humor in venis continetur inclusus. de quarum dignotione in. 2. libro de crisibus tractauimus. In intermittentibus (inquit) defertur per omnes corporis

partes:

partes: in continuis verò continetur inclusus in venis: Non dixit putrescere extra venas, & intra venas: sed continetur inclusus, & defertur per omnes partes corporis. ac si diceret, humor quidem putrescit intra uenas: sed, cùm in eis continetur inclusus, continua excitatur febris: cùm verò expellitur extra venas, defertur per totum corpus, & intermittentem febrem gignit. Et primo Epid. Com. 2. test. 15. tertię tēpestatis, inquit: Nam cùm in vasorum capedinibus vnà cum sanguine continetur flaua bilis: vt cunque accendatur, contingit febres ardentes prodire. pręcipue verò, vbi in uentris, aut iecinoris, aut pulmonis venis, bilis efferuescat. at quando ad solidas corporis partes peruenit, ac ea permeat, rigorem constituit. inquit, Peruenit, ac permeat: & loquitur de bili putrida, & accensa: non autem dixit putrescit: quia erat accensa, & putrefacta, quādo ad solida deferebatur. Et Com. 3. test. 5. Harū (inquit) est causa totū corpus permeans flaua bilis. Nō dixit putrescēs, sed permeās: nēpe bilis prius putrida, postea mota à natura & propter pororum venarum apertionem expulsa. Hoc idem exemplo docuit. 2. de sympto. 5. locus à me citatus, à te uerò praue intellectus. etenim declarans Galenus, quomodo fiat rigor, exemplum tradidit tertianæ, quę maximè horrore infestat. Nam in ea fit horror, veluti in febre ardenti, quando soluitur. quoniam bilis, quæ prius in uenis errabat, à natura decretoriè per carnes ad cutim truditur; ex quo rigor fit ex motu materiæ per corpora sensi-

rasensi-

ra sensibilia. sic in tertiana, bilis, quæ in venis putrescit, cùm vehementer moueatur: expurgatur à natura, perque singulas corporis partes disseminatur, & fit rigor. Hoc idem confirmat verbis apertissimis Galenus. 9. Meth. 5. Si materia in omnibus vasis, & præcipuè magnis putrescit: continua excitatur febris: vbi in vnica animalis particula, accessiones, quæ certo ambitu repetunt. Hic Galenus per febrem circuitu repetentem intermittētem intelligit: vt primo de diffe. feb. & tu ipse (tecum pugnans) exponis, pagina. 62. per continuam verò accipit, non tantum synochum, vt putas: sed omnes continuas, quæ ad infebricitationem nō perueniunt vt. 2. de differ. feb. 2. in quò bimembrem facit diuisionem, in continuam & intermittentē: & continuam rursus diuidit. Ergo per febrem circuitu repetentem, intermittentem intelligit, quę certo ambitu repetit: non autem continuam, vt malè interpretaris. Neque hoc videtur negare. 4. Aphoris. 59. quem locum nos adduximus. etenim inquit Galenus, tertiana febris ab ea, quæ ardens nominatur, humore facientе febrem, non differt. vtraque enim ex flaua bile fit. Differt autem, quando febris ardens habet in venis vnà cum sanguine bilim plurimam ebullientem: tertiana verò eandem bilim habet in toto corpore latam, & motam. cõmunicant hę febres in humore, cùm utræque ex bili putrescente. Sed differunt, quia ardens bilim habet putridam in venis unà cum sanguine: tertiana uerò habet eandem bilim putridam latam & motã

à natura

à natura in toto corpore. Inquit eãdem bilim habere: at bilis putrida ardentis febris causa erat. ergo eadẽ bilis putrida exquisitam faciet tertianam. nec potest dici putrescere extra venas. nam Galenus dicit eandem bilim latam, & non putrescentem: cùm natura eãdẽ bilim putridam mouet, & per totum corpus defert.

Non solum autem Galenus huius est opinionis: sed etiam Alexander, libro primo problem. 81. quando (ait) materia in maximis vasis putrescit, continuæ febres fiunt: in paruis verò putrescens, intermittẽtes excitãtur febres. Hoc etiam fatetur Trallianus aliorũ opinionem sectatus, libro. 12. cap. 2. idem percipitur ex Aetij verbis, libro. 5. cap. 74. At tu mauis à tantis uiris, nulla certa ratione, dissentire: quàm mecum vere sentire.

Ad eas autem rationes, quas in disceptatione huius quæstionis literis mandauimus, illa quoque accesserit. Si in febre intermittenti humor putrescat extra venas: cùm omnes humores sint cum sanguine in venis, aut humores ipsi expellũtur ex uenis, antequam putrescant, aut post putredinem, aut dum putrefiunt. si ante quam putrescant, tunc causa antecedens harum febrium erit extra venas. & sedimentum in his febribus non erit pars causæ antecedentis (contrà quàm opinaris) cum sit extra venas. at sedimentum ostendit ea, quæ sunt in venis. præterea sequeretur, quòd rigor longo tempore fieret in febribus ante putredinẽ: quocirca primo esset rigor, successuque temporis febris. quod

est absurdum, cùm etiam stante rigore, vt.2.de differ. feb.4. ægri febricitent: quia rigor fit(ut Galenus de sympto. causis. 10.Metho.2. de crisibus, & de rigore) quando excrementa mordacia mouentur per partes sensibiles: at bilis semper est mordax: ergo, quando expellitur ex venis ante putrediné ad partes sensibiles, fit rigor, postea putrescens faciet febrem. si verò expellitur post putredinem, aut dum putrescit, ero voti compos. etenim, quando humores putrescunt, natura stimulata, stante corporis raritate, partem tenuem expellit ex venis paruis ad partes sensiles, deinde superatas in statu ad cutim expellit per sudorem & halitum: partem verò crassam, superatam, expellit per vrinam. Postquam hos Galeni locos praua interpretatione inquinasti: niteris omni animi conatu rationibus meis respondere. Earum prima est, quod sæpe vidimus febres intermittentes vomitu, vel alui deiectionibus terminari, humore petente ventriculum. si autem humor in carnoso genere erat, quomodo per venas ventriculum petijt: vt nec sudore, nec halitu terminetur: cùm citius, facilius, cõmodius fieri potuerit? Tu verò quæstioni non satisfacis. siquidem causam non reddis, quare petat ventriculum: & sudore non terminetur per cutim, cùm potius per eam regionem, quàm per ventriculum, expelli debuerit. longè etenim distat ventriculus à carnoso genere: at cutis carni adhæret. Neque Galenum intelligere videris. nam & si quandoque ventriculus totum

tum corpus interposito iecore euacuat: venas tamen in toto corpore existentes euacuare intelligitur: nō carnosum genus: nisi per accidens euacuando venas, quæ continuo excremēta ad carnosum genus transmittunt. sicut clystere euacuare caput dicitur, prohibēdo ac diuertendo vapores caput petentes. quandoquidem iecur interpositis uenis cū vniuerso corpore cōsentit. hoc sibi volunt Galeni verba. 2. Prognost. 13. etenim iecur non solum sua ipsius excrementa, saniemque, & humores præter naturam dimittit in ventrem: sed totius etiam corporis fæces. quandoquidem venter per id omnibus corporis partibus copulatur. at iecur venarum est principiū, & origo: igitur uenas euacuat. cùm ergo in febribus intermittentibus humores quandoque petant ventriculum: & hoc per iecur & venas: necessariò sequitur in venis putrefieri: & non in carnoso genere. siquidem cum venis (ut dixi) iecur consensum habet: non cū carnoso genere, nisi interiectis venis. Neque mihi palinodiam cano, asserēs naturā tempore insultus transmittere humorem putridum ad partes corporis carnosas ex venis: cùm partem tantùm tenuiorē natura expurget: crassam verò intra venas retineat, quia propter eius crassitiem transmitti non potest. at postquam concoxit, illam per sudorem & halitum, hanc verò per vrinam expellit. Tu uerò Galenum nō intelligens tuique immemor, huc illuc vagaris: & ex eodem ore modo calidum, modo frigidum efflas.

Secunda ratio est. Quorsum Galenus præciperet inspicien-

ſpiciendam eſſe urinam in his febribus, ſi humores extra uaſa putreſcerent in carnoſo genere: cùm urina tãtùm eorum, quæ in uenoſo genere ſit index: ſicut carnoſi ſudor. huiuſce argumentationis hæc uis eſt. Si vrina eorum, quæ in uenoſo genere peccant, eſt index: quando optima erit in ſubſtantia, colore, odore contentis; naturam, morbi materiam ſuperare oſtendet: quando verò mala in ſubſtantia, colore, odore, & contentis, ut ſi fuerit in ſubſtantia, uel tenuis ualde, uel craſſa, colore nigra, liuida, uiridis, odore fœtida, & contentis etiam huiuſmodi: indicabit materiam morbi à natura minimè uinci. materiam dico in uenoſo genere contentam: cùm eius, quæ in carnoſo, ſudor ſit index. At Galenus in omnibus febribus primo inſpiciendas eſſe vrinas præcipit. 1. de criſibus. 7. cùm urinæ febricitantium notæ ſint eorum, quæ in uenoſo genere putreſcũt. ergo in omni febre materia putreſcit intra uenas. Nec reſponſio tua aliqua ex parte ſatisfacere uidetur, cùm vrinas inſpicere perſuades, quò humores ſub cauſa antecedente iudicentur. nam præter quàm quòd ſedimenta urinarum, ueluti cineritia ſunt humorum putridorum, non autem imputridorum ut. 3. de præſag. ex pul. & 1. de diff. feb. & Auicennas adhuc materia ipſa, quæ per te putreſcit extra uenas, aut expellitur antequam putreſcat, & hoc pacto materia ſub cauſa antecedente erit in carnoſo genere, non in uenoſo: quocirca urina nec illius coctionem, nec cruditatem oſtendet, quia extra uenas eſt: ſed ſudor poterit oſtendere, cum

proprium

proprium ſit carnoſi generis ſignũ, vt loco citato. aut expellitur poſt eius putredinem: tum, quod volebamus & contendimus, obtentum eſt. nam id materiã putridã demoſtrat, quę intra venas putredinem acquiſiuit.

Prȩterea vanum eſſet Galeni præceptum ad Glauconem, in curatione ſimplicis tertianæ prouocandam eſſe vrinã potionibus, in quibus appium, vel anetum madueri nt: ſi non in venoſo genere, ſed carnoſo humores putreſcerent. Nec dici poteſt, id præſcriptum eſſe, vt humores ſub cauſa antecedente educeret. etenim Galenus humorem febrem facientem educere intẽdit, qui putridus eſt: non autem imputridum, qui potius coctione, ideſt alteratione, indiget, quàm euacuatione: vt ſuprà ex Galeno declarauimus.

Tertia ratio eſt, febris eſt paſſio venoſi generis. at ſi humores extra vaſa putreſcerent, febres hæ non eſſent paſſiones venoſi generis, ſed carnoſi. Tu verò reſpondes, quòd tunicę venarum afficiuntur, tam ſi extra venas, quàm ſi intus in venis humores putreſcerent. ex quo patet, te non percepiſſe, quid per paſſiones venoſi generis Galenus intellexerit. Is enim, cùm febres putridas paſſiones venoſi generis appellauit, intellexit eſſe paſſiones humorum, qui in venoſo genere continentur. nam ſicuti ephemeras febres, paſſiones ſpirituum abſque humorum putredine appellauit. 2. de criſibus. 13. ita febres putridas paſſiones venoſi generis, ideſt humorum in venoſo genere contentorum. quapropter, ut nos diximus, in omni fe-

bre humores intra vasa putrescunt: alioqui quomodo esset passio venosi generis? Præterea, in omni febre, non tantùm tunicæ venarum & arteriarum afficiuntur: sed totius etiam corporis partes omnes. quocirca condemnandus esset Galenus, si per passiones venosi generis, vt tu exponis, tunicarum venarum passiones intellexerit.

Quarta ratio est. Si in febribus intermittentibus humores putrescunt extra venas: cur vsus rerum aperientium internas obstructiones in his febribus adhibetur? huiusque rationis causa est: quia si humores antequàm putrescant transmittuntur ex venis ad partes carnosas, & sensiles: non deberemus uti demolientibus internas obstructiones (quandoquidem pori & ora venarum aperta sunt, cùm materia fuerit transmissa) sed frictionibus, quæ cutis poros aperiãt. Tu verò, tui immemor, respondes, quia propter crassiciem & lentorem humorum in vasis contentorum obstructiones gignuntur: proinde deostruentibus vtimur. ò Musæ. si crassities humorum in vasis obstructionem facit, obstructio prohibitam transpirationem, hæc putredinem: nonne clarum est lippis & tonsoribus, cùm propter obstructionem ex humorum intra venas crassitie factam, humores transpirari ac trãsmitti nequiuerint, & putredinem acquisiuerint, illam intra venas recepisse?

Cùm igitur responsiones tuæ nullius sint operę pretij: remanent rationes meę firmę, quemadmodum & Galeni

Galeni auctoritates à me citatæ. Quamobrem concludendum est, in omni febre humores intra vasa putrescere: sed in intermittentibus, ex venis insultus tempore ad externa, propter materie paucitatem, corporis raritatem, viriumque robur, materias maximè mouentes transmitti. Neque verò Alexander in tua est opinione: neque Auicennam nunc defendēdum suscipio. Locus enim ad eam rem oportunus non est. sed de hoc forte aliàs. Nam neq; preceptoris tui opinionē in sua illa de febribus rapsodia, seu mauis centone, in disquisitionem reuoco. dabitur occasio, cùm quædam alia in lucem edam.

Cæterum sententiā meā cōfirmant, quæ ex Galeno in 1. Epid. Com. 2. adduximus. Tertianæ verò (inquit Galenus) fiunt, cùm carnes affluūt bile flaua. at febris ardens, quando in venis superabundat. Non dixit putrescit, sed affluit, quia insultus tempore transmittitur ex venis ad externa, vt. 2. de crisibus. & de differ. feb. quem locum citasti. Tu verò, vt tui moris est, verba peruertis. nam verbum ἐπικρατέω, idem sonat latinè, quòd inuado, iruuo: & non supero, ut conuertis. neque tamen hæc interpretatio tua contra me facit, quia inquis superante, non putrescente. nam superat carnes, cùm transmittitur ex venis ad externa: idque post putredinem.

Nec alicuius videtur momenti ratio ea, quā contra expositionem verborum Galeni à me traditam, dirigis. Galenus ait, quantum bilis in carnoso gene-

re &c. exposui in uenis, quæ sunt in carnoso genere: quæ respectu magnarum inter alas, & inguina existentium, paruæ & sunt, & dicuntur. Tu verò in hūc modum resistis: si febris ardens distat loco à tertiana exquisita, vt rei veritas est: & utraque febris materiā habet putrescentem intra venas, vt à me ponitur: quomodo loco different? Dicimus differre loco. nam tertianarum materia putrescit in uenis paruis, quæ sunt extra alas, & inguina: postea expurgatur à natura ad partes sensiles. ardentium verò in uenis magnis, quæ inter alas & inguina complectuntur, non expurgantur, sed retinetur. ostendunt hoc Galeni verba, cùm dixit, præcipuè iecoris, & uentris. æquè ac si diceret, febrium ardentium materia per omnes uenas mouetur, præcipuè tamen per venas iecoris, & uentris, quia locus est putredinis: tertianarum verò per omnes uenas (in qualibet enim febre totum corpus afficitur) sed præcipuè per uenas, quæ sunt in carnoso genere, quia ibi putrescit: deinde per carnes spargitur, & expurgatur a natura. itaque loco differunt, quia illarum materia in uenis magnis putrescit, & retinetur: harum verò materia, in paruis, quæ postea expurgatur. Quod autem expositio hæc Galeni doctrinam redoleat: ipse patefecit. 10. Metho. 6. in fine. ubi, postquam declarauit febrem ex phlegmone, incipit notas facere febres ex putredine vasorū his uerbis: Possunt uerò & sine hac (intelligit phlegmonem) in ipsis uasis humores aliqui putrescere, idque aut in una animalis particula

in

in finibus ipsorum impacti: aut etiam in totis ipsorum capacitatibus: quæ inter bubones, & alas sunt comprehensæ. in una, inquit, animalis particula, in finibus ipsorum uasorum, aut in uenis maximis. Vides igitur non meam, sed Galeni ipsius esse expositionem. Præterea Alexander libro. 1. proble. 81. hanc ipsam expositionem confirmat: ut legentibus innotescit. nimium insulsus & proteruus fuerit, qui tot uiris, leuitate quadam ductus, repugnare audeat. Quæ autem ex Galeno cap. 7. libri de rigore citas: tantùm abest, ut tuæ opinioni faueāt, ut ipsam penitus euertant. differentiā enim tradens tertianarum, febriumque ardentium, inquit ardentes in uasis bilem delatam, tertianas uerò per sensitiua loca extra habere. æquè ac si diceret, febris ardens habet bilim delatam per uenas: tertiana uerò eandem bilim habet delatam per sensitiua loca extra uenas. delatam inquit, non putrescentem: nisi tu, nouus grāmaticus, uelis deferri idem esse, quod putrescere. Verbis quoque suprà citatis, cùm dixit, siue in carnibus copiosus iste humor factus fuerit: non inquit factus absolutè: sed factus copiosus, ut græca dictio sonat. quia in uenis putrescit, & generatur: in carnibus postea transmittitur, & aceruatur: deinde succedit rigor. Aliam etiam adducis auctoritatē 4. de ratione uictus. 1. ubi febris ardentis generationem declarans, inquit generari quandoque, quando uenulæ totius corporis supra modum exiccantur, tunc acres & biliosas, & tenues humiditates trahunt. ex quibus

uerbis tu infers bilim generari in partibus carnosis. hoc autem nullo pacto consequitur. Etenim, licet humiditates illæ sint biliosæ: non propterea generantur in partibus carnosis: sed ex uenis transmittuntur ad partes carnosas. in uenis enim biliosæ fiunt, propter summum aeris æstiui calorem, quo sanguis efferuescit. has humiditates Hippocrates ichores appellat, quę sanguinis sunt partes tenuiores, iuxta. 6. Epid. Com. 2. test. 38. in bilim autem uertuntur: sicut crassæ, in humorem melancholicum. at sanguinis locus est in uenis ipsis: quæ postea exiccatæ ualde à partibus uicinis, & à carnoso genere, illas trahūt prius trāsmissas: magisque aduruntur & putrefiunt, febremque gignunt ardentem, idest synochum. nam hæc ardens etiam febris dicitur, ut. 2. de crisibus. 6. non ergo generatur bilis in parte carnosa (ut putas) sed in hepate, & uenis, quando ex sanguine fit adusto. Neq; ex istis Hippocratis & Galeni dictis bilim putrescere extra uenas, rectè colligitur. sed contrarium potius, scilicet humores in omni febre putrescere intra uenas. docet enim uenas trahere bilim intra uenas, ubi putrescit postea, & febrim generat. sed in continuis retineri inclusam, in intermittentibus uerò insultus tempore disseminari per totius corporis partes. ut apertissimis uerbis Galenus declarat. 2. de crisibus. 3. aliisque in locis, quàm plurimis.

Vt autem omnes tollerem dubitationes, quę in hac materia inijci possent, quæsiui, cur cùm in omni febre humores intra uasa putrescant, aliquæ tamen desināt

ad

ad infebricitationem, aliquæ uero minime? Ac primũ respondi, quia aliqua putrescit materia intra uasa magna, quæ ualde uicina sunt cordi; & materia non potest tam cito euaporari, quin altera putrescat. aliquæ in unica parte, & intra uasa non magna. Verùm, quia rursus aliquis efflagitauerit, quare materia non potest tam cito euaporari, necessumque erat causam tradere ultimam, alterã attuli, quã Galenus. 2. de differ. feb. assignauit. nẽpe propter materiæ paucitatẽ, & multitudinẽ; corporis raritatẽ, & densitudinẽ; facultatis imbecillitatem, & robur. nam si materia pauca, corpus rarum, & facultas expultrix ualida materiã trãsmittens & euaporans: breuiorem facit accessionem, ita ut febris intermittat, antequam secunda accessio ueniat. Si uerò materia & reliqua alia, contraria qualitate prædita sint, è contrario quoque fit. Tu autem obijcis, quod licet humores putrescant in maximis uasis, nõ tamen propterea est febris continua: quia hoc proprium est febrium contentiuarum, idest synochorum tantùm. In quo primùm uideris ignorare febrium essentiam. etenim febris synochus est, quando aut tota sanguinis substantia: aut eius pars tenuior, (quam ichorem, quandoque Galenus & Hippocrates appellat, quandoque bilim, vt. 2. de differ. feb. 2.) putrescit. hancque ob causam Galenus tantùm in abundantibus sanguine fie

ximis uasis, ibique materia continetur, uel in alijs: modò non transmittatur. Dixi absque rigore incipiens, cũ fieri possit febris continua cum rigore incepta, quam continuam per subintrantiam vocant: est tamen continua (etsi in paruis uasis materia putrescat) cùm numquam æger à febre sit immunis, quod ob materiæ multitudinem fit. Deinde negas febrem continuam fieri, quando materia non citius euaporat, quàm altera putrescat. & in hoc contra Galenum dicis. 2. de differen. feb. & contra rationem. Nam, quæ causa est, cur febres continuæ, per subintrantiam dictæ, non ueniunt ad infebricitationem: nisi quia materia non potest citius euaporari, quàm altera putrescat, propter eius multitudinem, corporis densitatem, & facultatis imbecillitatem materiam totam non transmittentem? Addis me errasse, cùm asseruerim humores in unica parte putrescentes febrem facere intermittentem: quia sequeretur febres continuas, quæ plures habent accessiones, numquã generari. Ego uero non uideo, quo nixus argumento hoc inferas. Et intermissionis causam inuestigans, inquis causam à Galeno. 2. de differ. feb. traditam, propriam non esse febrium continuarum: sed omnibus communem. Tu propriam (vt iactas) afferens, asseris huius causam esse humores, qui febrium causæ sunt, non expurgari ex uenis, sed retineri in continuis: in intermittentibus expurgari ex uenis ad externa, ibique putrescere. Ego verò, si denuo petam abs te, qua de causa ex uenis non expurgatur: necesse est nolis velis, recurras ad causam

sam

ſam à me, vel ut rectius dicam, à Galeno traditam: nẽpe ad materię paucitatem, uel multitudinem; corporis raritatem, uel denſitudinem; & facultatis uel robur, vel imbecillitatem, eam non vehementer mouentem. quæ propria, veraque eſt, & ultima intermiſſionis, & continuitatis cauſa: cùm ea, quæ ex. 2. de criſibus colligitur, vltima non ſit. Præterea hac tua reſpõſione, Galenũ reddis diminutũ, qui cãm intermiſſionis tradere uolẽs, propriã omiſerit, cõmunẽ aſſignarit.

Neque cauſa intermiſſionis eſt materiam putreſcere extra uenas, ut arbitraris: quoniam, ſi febris intermittens, per te ſit materia putreſcente extra uenus, quæ mouetur per partes corporis ſenſiles, rigoriſque eo tempore eſt cauſa: febris ad infebricitationẽ deueniẽs nullo umquã pacto abſque rigore incipiens inueniretur. at nos contrarium ſæpè iteratiſque uicibus animaduertimus: febrem interpolatam abſque rigore, horrore, uel frigore inceptã: & è contrario, febrem cõtinuam, quęque nullo umquam tempore ad infebricitationem deſinit, cum horrore uel rigore incepiſſe. vt. 1. de differẽtijs feb. Gal. & 1. de Arte curat. ad Glau. & 1. Epid. Com. 2. & eam quam continuam per ſubintrantiam appellant. Quocirca longè admodum deciperis, ueramque intermiſſonis cauſam minimè tradis: cùm ultima ea ſit, quam nos ſupra opuſculoque noſtro ad Galeni mentem

bribus intermittētibus humores trāſmittūtur ex uenis ad extra: ſedimentum ſit pars humorum illorum. Dixi ſedimentum eſſe partem craſſam humorum putridorū, quę tranſmitti nequiuit, ſicut in definitione hypoſtaſis ſcripſimus. Tu uerò exclamās queris, ubi nam in definitione hypoſtaſis humoris putridi mentio facta ſit. at memorię uitio laboras. nonne humores omnes à ſanguine naturalique pituita, excrementum & ſunt, & dicūtur: qui putreſcentes febrem faciunt? quapropter, cùm dixi excrementum craſſum, humores intellexi, qui febricitantibus febre putrida, putridi ſunt: ſanis uerò, imputridi. Cōtendis etiam me hic concedere partē craſſam humorum naturā expellere per urinam, quia commodiorem regionem non habeat: ſupra uerò expreſſe negaſſe: cùm dubitarem, cur ſudore non terminetur, quod cōmodius, citius, & facilius eſſet, quàm per aluū tranſmitti, ſi extra uenas putreſceret. Ego uerò repugnantia non ſcripſi. Nam argumentabar contra eos, qui tenebant in febre intermittenti humores putreſcere extra uenas: & cùm Galeno, ac veritate ſentiens contrariū aſſerebam, ſcilicet in qualibet febre humores putreſcere intra uaſa, verùm in intermittētibus partē tenuem tranſmitti: craſſam verò, cùm tranſmitti nequiuerit, expelli per urinam: & per uenas quandoque uentriculum peti. quapropter inſpicimus etiam urinas, quò materiam putridam noſcamus, an ualde naturæ rebellis ſit. Neque dixi, ſemper partem craſſam humorum: quod mihi falsò tribuis: cùm dictionem Sem


per

per non appoſuerim: quæ etiam ſi appoſita eſſet, reflecterem argumentum contra te hoc pacto. In febre continua, in qua fateris ſedimentum eſſe partem & cineritium humorum putridorum: hanc natura in uigore acceſſionis expellit. at ſi urinæ in reliquis temporibus inſpiciantur, ſedimentum non erit pars humorum putridorum. Verùm, quia adducere (vt aiunt) inſtantiam, non eſt ſoluere: dicamus, quòd aut erit pars humorum putridorum in uenis, & veſica retētorum: aut erit pars alimenti, quæ in ſanguinem uerti nequiuit, quod in ſanis ſedimentum appellatur.

Deciperis etiam putans me mihi aduerſari: cùm dixi utraque ſedimenta, quandoque uniri: ac propter maximam, quam habent conuenientiam, in omnibus cauſis cognoſci non poſſe. Non enim unum numero, ut arbitraris, ſed unum ſpecie eſſe ſentiebam: cùm non materia, non efficiente, non forma, non fine, non loco, aut modo generationis, neque ſignificatione diſcrepent, ut propria quæſtione breuiter patefecimus: tu verò, cùm nullum inter ſpecificam unitatem diſcrimen eſſe putes, & numeralem: ea in medium protuliſti, quæ abſurda, & erronea ſunt: ac ſi nunc primitias medicinæ guſtares. Hæc habui, quæ ad te ſcriberem hoc exiguo, & anguſto tempore: quo uiſendis multis nobilibus, aliјſque negotijs impeditus, uix ſatis otij tuis legendis ſuppedita-

me scripta sunt: quãuis insulsa homineque docto indigna sint: tua tamẽ non esse, sed præceptoris tui, tuo abutentis nomine uel ex eo coniicimus: quòd quemadmodum ipse alienis plumis induitur: ita discipulos suos uestiendos curat. Castrouillari, calendis Martij. à partu uirgineo M. D. LXIII.

FINIS.



INDEX CAPITVM, QVAE hoc in libello continentur.

REGISTRVM.

ABCDEFGHIKLMN.



VENETIIS,

Apud Nicolaum Tridentinum. 1564.